ALTER ECEBOLIVS M. ANT. DE DOMINIS ARCH. SPALATENSIS.

Pluribus DOMINIS inseruire Doctus,

MATTH. 26.15.

Et ait illis, Quid vultis mihi dare?



LONDINI:
Excudebat IOH. BILLIVS.
1624.



Præfatio Typographi ad Lectorem.



EN tibi Lector humanißime, ſimplicem & veram narrationem eorum quæ inter Regem *ſerenißimum, & Archi-Epiſcopum* Spalatenſem *tractata ſunt, necnon nonnullos alios, de mandato Regio ſpeciali deputatos, poſtquam de Romanâ Eccleſiâ repetendâ, illius propoſitum cæpit innoteſcere. Collegerat eam pridem*, Epiſcopus Dunelmensis *(cuius operâ, vnà cum alijs, Regia Maieſtas in hoc ipſo negotio fuit vſa) vt petenti cuidam amico ſuo venerando ſatiſfieret, quem ſparſi rumores de conſilio & transfugio* Spalatenſis *ſollicitum habebant nonnihil, & perplexum. Iſtius ſic*

 collectæ

collectæ & adaptatæ partibus narrationis *exemplar, Sacratißima sua Maiestas, curauit transmittendum ad Dominum* Henricum VVottonum *suum apud* Venatam *rēpublicā* legatum *ordinarium, vt si occasio sic tulisset, Illustrißimos Ducē & Senatum* venetos, *de causâ Archi-Episcopi, & totius negotij procuratione faceret certiores. Contigit autem, vt, quæ mea fortuna fuit,* apographum, *huius* narrationis, *fideliter satis, vt videtur repræsentatum nanciscerer. Quo quidem, magnâ meatum volup-tate perlecto, me non potui continere, quo minùs publici juris factum, tecum Lector communicarem. Erat enim, meo animo luce hominum, & cognitione quā dignißcima* narratio. *Vtere autem illâ, fruere, et veritatē rei totius gestæ certißimis testimonijs consignatā agnosce, et tuere,* Vale.

I. B.

De Pace religionis

M. Antonij de Dominis Archiepisc. Spalat.

Epistola

Ad venerabilem virum Josephum Hallum

Archipresbyterum Wigorniensem

In qua sui status ex Anglia proximi discessus

idem Auctor rationem reddit.

Querelas quoque Regiae sibi discessuro factas

Suaisque ad eas responsiones refert,

Et ab ipso Hallo inculpationes acceptas

reijcit.

Proverb. 12. 20.

Qui pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium

Marcus Anton. de Dom. Archiep.
Spalat. Clariss.o viro Jos. Hallo
Archipresbytero Wigorniensi. S.

Oratio tua parenetica, Vir clariss. (seu potius increpatoria) ad me nuper scripta, si dictionem spectem, diserta quidem, et leporum plena, si dicentis animum, pia, si zelum scribentis, fervens, imò tota, ardor, tota flamma, voluptati mihi fuit. neque possum his eam nominibus non acceptissimam habere, et plurimum commendare, tibique gratias agere. Si tamen rem ipsam in eâ à te tam facundè, tam piè, tam ardenter, consideratius inspicio, liceat mihi quaeso pari animi candore pari calami libertate tecum agere. Eloquentiam video in angusto inutili impensam; pietatem, ubi locus ei non erat, exercitam; ardorem absque ulla aut occasione aut opportunitate incongruum; zelum verò et aemulationem Dei, sed non secundum scientiam debita cum discretione non fuisse moderatum. Ostendam tibi id per partes non multò post cum expositis prius meis discessus maturè facti deliberatione orationis tuae capita [illegible] assumpsero, summatim percurrenda. Moneor tu ipse ~~ani~~-

amico, licet ægro, nec sine incomodis ~~amaritudinibus~~ et amaritudinib. et illis illusionibus, quibus animalis homo qui non percipit ea quae sunt Spiritus, solet Spirituali insultare, opus esse nunc novas perfectionis meae rationes exponere et dimicare eas conaris. Hoc te onere ~~[illegible]~~ levabo, et rationes assignabo tibi tales, quas nisi te durum nimium et asperum exhibueris, sis ipse verò approbaturus et meae perfectionem ratio laudaturus. Quas tamen rationes si tibi duriori non arriserint, ne tu illas, rogo, irrideas ~~[illegible]~~ duntaxat, sed ad eas confutandas animum quaeso appelle. Ansam tibi porrigam, et argumentum plenius tuae doctrinae et eloquentiae contra impetum et infantem exprimendae. Rem aggredior.

Rationali creaturae ex electione operanti finis primus est communi intentione: media verò quamdiu ad finem ducunt, magni faciunda sunt, et serio amplectenda. Vbi verò aut ad consequendum finem iam plenè inservierunt, aut inepta facta sunt, ea prudenter sunt omittenda. In medio n., quatenus medium duntaxat est, et ad aliud, sibi finem constituere, et verum finem deserere, et medium

tendas, summae imprudentiae est. Meus iam ante quinquennium in Angliam adventus, meo in Anglia commercio, modus mihi semp. fuere, nunqm finis. Quadruplex consilium sequutus sum, cum in Angliam me contuli, idqs [illegible] primum ex Italia discessi manifestavi.

Primo ut plene causas dissensionum et schismatis cognoscerem.

Deinde ut scriptioni liberae liber mihi esset locus.

Tum vero ut unionis et Concordiae rationes, si quae esse possent, observarem; Ac demum ut vestri Admirandi Regis, qui mihi profecto alter est Salomon, sapia p. [illegible] eius ex corde, si meâ uti vellet operâ, inservirem.

Dissensionum caûas cognoscere volui, ut culpa schismatis quâ ex parte esset, mihi plene innotesceret, ut morbo cognito remedia adhibenda facilius cognoscerentur.

Scribere conabar, ut quae diuturno studio pro reformatione observassem, aperirem, atqs sup. illis Ecclesiae Catholicae iudicium expectarem.

Concordiae et unionis fundamenta aliqua

iacere mihi fuit cordi, ut Ecclesiae pax, et inde christianae Reip. tranquillitas, quam fieri possit, consequeretur.

Regiae Maiestati obsequiis mancipare me cupivi, si forte in aliquo munere ipsius proprio defensoris fidei possem in bonum cooperari.

Quid tandem mea haec consilia integro quinquennio ad mihi propositos fines assequuta sint, accipe vir venerande.

Primi consilij mei finem me iam plene assequutum esse satis confido. Duo enim, quae Ecclesiam Christi plurimum perturbant, directe, et per se, et passim doctis omnibus est notissimum, haeresim et schisma. Tertium vero indirecte et per accidens, ubi sub fidei Catholicae velo, latere quasi in herba anguem suspicari non temere possint terrae Principes, ruinam ipsorum et exterminium temporale: tales enim suspiciones non possunt non ingentia incommoda in religionem inferre. Sciebam porro Pontificios et Protestantes se inter se haereticos vocare et alteros ab alteris tanquam ab ~~haer~~ haereticis in fide christiana secedere et sibi cavere. Ac profecto quod spectat ad haeresim, sicut hae-

tenus nemo protestantium siue scriptis si-
ue voce, potuit mihi reipsa ostendere
pontificios nostros temporis siue eorum
praedecessores, quoad ipsorum Ecclesiam
vniuersam, et publicam omnium professionem,
vllâ esse aut fuisse verâ haeresi vnquam
confessos aut inquinatos, ita fidei arti-
culos fundamentales de Deo trino et vno,
de Christo Deo et homine, de gratiae necessi-
tate, et similes apud mitiores Protestantes
~~et~~ illaesos ~~et~~ et incorruptos inveni. Et
quoniam immerito illi suas opiniones
articulos esse fidei mordicus defendebant
et contrarias nostras inter nos Pontificios
~~et~~ communiores, haeresis condemnabant, id-
circo illae Protestantium opiniones fu-
erunt à nobis iure ac merito ana-
thematizandae, quia turpe et iniquum est,
siue damnare haeresis, quod haeresim nul-
lam continet, siue asserere esse de fide,
quod de fide non est. Itaque non sine causâ
nostri Pontificij dare quoddam quasi v-
niuersale praeceptum positiuum Ecclesias tenere
pro constantia doctrinae, quae tunc communior
inter ipsos erat, aduersus Protestantium inso-
lentiam voluerunt. Quod si ipsi pro-

testantes amice et citra schisma suas controversias contulissent, ut iam moderni multi libenter conferunt, et eas explicationes suae fidei suarumque opinionum, quas à plerisque vestrum viris doctis ac pijs iam audivi, tunc addidissent, nostrásque similiter explicationes nostrarum opinionum audissent ipsi et considerassent, utraque non dubito pars alteri suas opiniones ita deformulissent, ut suspicio haeresis utrimque facili negotio nulla esset superfutura.
Divisionem itaque immeritò et illegitimè factam esse à Protestantibus nomine haeresis, ego, ni fallor, satis clarè inveni. Ac in ipsis protestantibus qui priores Ecclesiam Pontificiam iure Catholicam et nullâ ex parte haereticam decernunt, verissimum illud Hieronymi reperio in epist. ad Titum c. 3. Nullum esse schisma quod non sibi aliquam haeresim confingat, ut meritò ab Ecclesiâ recessisse videatur. Haeresim Romanae Ecclesiae non multum inter vos Protestantes inculcatam audivi, sed omnes urgent Idolatriae et superstitionum crimen. Certè si Pontificij nostri essent veri Idololatrae, haeretici non essent. Sed (quod

multo' prius ~~est~~ est) Apostatae à fide ac simpliciter infideles, qui unum verum Deum non agnoscerent, ac proinde merito vitandi penitusque in rebus divinis deserendi: sunt tamen istae merae calumniae. Audivi disserentes de hac idololatria, legi scribentes, omnia illi æquè infeliciter. In sanctis sanctorumque reliquijs et imaginibus, nullum apud nos divinum cultum latriae potestis invenire. Noster cultus in his, si quis est, honor est duntaxat quidam externus, ac si aliquid religiosi ac divini habet id totum multis respectibus in solum Deum verum, ultimò tendit. Latriae cultus in sacramento Eucharistiae totus immediatè in corpus Christi praesens, quod latriae cultum meretur, dirigitur; et transubstantiatio arto latriam non inducit, multò minus haeresim: nam si oppugnanda est transubstantiatio, profectò theologicè oppugnari aut certè expugnari non potest, sed ex sola humana philosophia omnes patitur obiectiones et ipsas solubiles, quia divinam potentiam humana philosophia non metitur: sed neque dicas stultum esse supponere, Christum sub pane, vel sub speciebus panis praesentem, et consequenter ibi adorandum: si quidem ipse panem

gestam dixit, Hoc ē corpus meum, dixerat et prius, panis quem ego dabo caro mea est.

Schisma ē alterum malum, qd in Ecclesiam invehit horrendas turbaões. Protestantes sanè videt quisqs qi nō caecus ē, non posse suae professiois caam legitimam allegare, qd Ecclesia Rom. sit schismatica. Jlla n. schisma nō fecit, sed passa est. Ab eâ sē Lutherus, ab eâ Calvinus, eorumqs sequaces priores separaverunt; illi schisma fecerunt, illi Christi tunicam diviserunt, illi altare contra Altare erexerunt. illi pontifici Ecclesiae nuncium remiserunt, causam reformaõis necessariae ptexerunt. Esto, concedatur tantisper fuisse aliquos abusus reformandos, aliquos ritus non omnibus placentes corrigendos; sed non pro his levioribus conflandum erat teterrimum schisma. Stat Ecclesia Rom. sup solidum inconcussum et stabile fundamentum: si etiam verum esset nos supposuisse ei lignum stipulum, foenum 1. Cor. 3. 12. non propterea à salute essemus exclusi, salui essemus adhuc, licet quasi p ignem. Vos protestantes a fundamento recessistis, fundam. destruxistis,

aurum vestrum, quod esse apud vos putatis et argentum et lapides ptiosi, proiecta viliora sunt, nisi sup fundamentum qd Christus est, ista superedificetis. vnum fundam., non duo fundam.; vna Ecclesia, non duæ. vnus Christus non duo. Si Christus nobis e fundamentum, vobis non est: nobis a. illum ee fundam., negare non potestis vos alteram Ecclesiam statuistis, quæ Ecclesia ee non pt. quia Eccles. vna e non duæ: ut vera sit vestra Ecclesia, vniatur cum nostrâ, ut simul iuncta vnica sit. Diu quoque steti à vobis, dum viri multi pij et docti respondebant mihi, Protestantes non stare quo minus communicent cum Romanâ, se paratos esse in fide fundamentali cum Pontificiis coniungi errores solos quos ~~putant~~ putant pontificiorum, se abijcere, non fidem, non charitatem, non vnionem. Sed Pontificem nolle eos in consortium admittere, quos ab se anathemate rejecerint. Hæc animorum dispositio mihi semper visa e satis laudabilis. Hunc ego inveni passim esse Anglicanæ Ecclesiæ illius, quæ se reformatam vocat, spiritum, quam

Spiritus fere descriptus video in symbolo, seu confessione fidei Anglicanæ, in qua sunt articuli ut plurimum modesti, et tales, qui si non verbis expressis, saltem virtute, si non excludant saltem non includunt articulos ~~multos~~ plurimos Lutheranorum et Caluinistarum, rigidos nimirum et periculosos, ne dicam falsos, et hæreticos. Postquam tamen cœpi hinc in privatis dissertationibus et publicis concionibus unionem urgere, cui non multa nec gravia putabam impedimenta opponi, quando iam digitum in vlcus altius inferre tentarem, sensi Puritanos dominari et non Anglicanam confessionem, sed Caluini, et multa Lutheri planè deliramenta esse iam in Anglia eorum plurimorum fidei regulas, ita ut nec mutire quidem quis audeat pro libertate arbitrij diuina gratia adiuti, in prima etiam conuersione. pro operum bonorum necessitate, pro merito ex supposita gratuita remissione, pro prædestinatione ex præscientia fidei, et boni vsus gratiæ, pro timore propriæ salutis ad tollendam arrogantiam oscitantiam et præsumptionem, pro amissibilitate iustitiæ &c. Te

ipsum Doctorem aduoco, Halle, et Collegas suos in synodo Dordracena, quam nomine Anglicanæ Ecclesiæ ibi stabiliendam curauentis. nihil profecto quod in Anglicana confessione præcipiatur, sed mera dogmata Caluiniana, quasi illorum 5 Articulorum fidem Anglicana Ecclesia cum contra=remonstrantibus profiteatur. Damnastis, licet tu prudens te inde mature subduxeris miseros Remonstrantes, abij abiecistis deposuistis, et exilijs multarentur effecistis. Et tamen illi nihil contra veræ Ecclesiæ professionem sentiebant aut defendebant, priscam antiquissimæ ac purissimæ Ecclesiæ doctrinam piam, sanctam, Apostolicam saluti animarum maxime proficuam retinebant, contra quam Ecclesia vestra Anglicana nihil sibi credendum præscripserat, ideoque secundum ipsi nostræ Ecclesiæ vulnus inflixistis, et præsterea pessimum fuerit consilium Anglos se in eas controversias immiscere, si iuxta propriæ Ecclesiæ doctrinam non erant iudicaturi, ut videlicet omnis catholica doctrina saltem toleretur, cui confessio Anglicana non repugnet. Dedi ego tunc successori tuo Doctori

quod etiam in scriptis monita haec saluberrima, sed frustra: ipse quoque in Calvinianos rigores est abreptus. Atque in eâ synodo non fides ventilabatur, sed consilia humana dominabantur, ne Barnevoltij factio à Remonstrantibus corroborata contra aliam praevaleret. Apage tales synodos et tales synodicas definitiones. Nunc igitur si quis unionem proponat cum Pontificijs, clamant innumerabiles resistunt, reluctantur, impossibilitatem praetexunt, ut tu D. Halle facis, et divisionem ac separationem factam laudant, et tuentur, et pro eâ tanquam pro aris et focis dimicant, fatenturque aliqui facilius fore cum Turcis mixe communicare (profecto in religione sic sectâ) quam cum Papistis, quibus ubi possunt, ut factum est in hâc vestrâ Angliâ omnia sacra templa auferunt, eisque horum conatu divini cultus exercitium omne sanctum et legitimum tam privatum quam publicum interdicitur: horumne est paratos esse cum ipsis in fide ac charitate communicare? inde plane cognosci in Angliâ puritanorum esse omnia plena, et consequenter schismaticorum proprijssime, qui ament et ve-

tiunt schisma, et ab vnitate Ecclesiæ abhorreant; Bone Deus, quam me turbauit res ista:– manent tamen boni illi et prudentes ac timoratæ conscientiæ et moderati ingenij homines, et sanè doctissimi firmè quiqz, qui ad vnitatem Ecclesiæ anhelant; qui ecclesiam Rom. sciunt nō esse hæreticam, qui norunt tolerabilia esse oīa in eâ Ecclesiâ tum in dogmatibus, si in pro vero et proprio ipsorum sensu ea accipiantur, tum in ritibus et praxi, si principiorum iura maneant illæsa, ut propterea schisma omnino tolli debeat. Habet Ecclesia hæc Anglicana 7000 virorum, quorum genua non sunt curuata ante Caluini et Lutheri schismaticam doctrinam, et qui pacis sunt amantissimi: sed illi prævalentib; et numero et dignitatibus vtriusqz generis puritanis (vno aut altero articulo de Episcopatib; et opibus [illegible] typhóqz mundano retinendis excepto) totus Donatista à spiritu vnitatis abhorreat. Quis Episcoporum meliorum ad pacem cum Pontificiis sua dirigit consilia (in quâ pace et totum regni bonum consistit, et regiæ

maiestati summa securitas et tranquillitas) si suum ~~Primatem~~ Primatem Puritanorum in opinionibus Puritanissimum, rigidissimum Caluinianum contra se acerrimum iudicem sit experturus. Potentiores Laici et nobiliores plurimi in Britannia puritani sunt non zelo religionis sed quia Ecclesiastica bona rapuerunt, et ijs adhuc quæ Henricianæ procellæ supersunt faucibus inhiant auidissimis. Atque ita in vestra Anglicana Eccl., cuius reformationem gloriamini Ecc modestissimam, rigidi dominantur Caluinistæ, qui modestiam illam totam pessundederunt.

Erat tertium malum quod indirecte quodammodo turbat pacem Ecclesiarum, si princeps in religione, seu potius à professoribus religionis sibi cauendum potest à quibus sui diadematis ruinas suspicetur; Hanc ego profecto suspicionem, si fundata sit, merito posse et regiam Maiestatem et ipsius regnum turbare non dubito. Sed sicuti mihi persuadeo, summum Pontificem eo sua consilia nequaquam di-

rigere, ita plurimum sperandum fore, ut si
iuramentum fidelitatis in suis verbis
moderationem accipet talem, ut non sit
Pontifici odiosum, et nihilominus regiae
maiestatis plenae securitati prospiciat ipso
Pontifice assentiente pro bono pacis et Ec-
clesiae unionis nulli sint amplius Ponti-
ficij recusantes. ~~Plurimum ergo si~~ Primum
ergo finem mei in Angliam adventus sum
plene assequutus.

Alterum meum consilium fuit liberae scrip-
tionis. Duo priora iam edidi volumina,
neutrae parti peperci: sed multo exacti-
or fui et diligentior in partis meae
pudendis detegendis, et erroribus meae
matris Romanae Ecclesiae purgandis,
quam in erroribus Protestantium excogitan-
dis: ~~ita~~ mihi partim prudentia aliqua,
partim imprudentia, partim etiam mate-
ria ipsa quam tractabam suadente ac
impellente. Prudentia dictabat, ut severi-
tate aliqua et dicendi ~~ac~~ acrimonia con-
tra summum Pontificem, Ecclesiamque Rom.
adhibita in Protestantium animos, quibus-
cum iam vivebam, melius me ~~insinua~~:

insinuandum, et fide sic apud illos comparata, facilius multas eis veritates possem pro communi concordia instillare; cuius ingens desiderium in animo meo arsit, et ardet pro negotio unitatis peragendo. Imprudentias meas aliquas diffiteri nolo, quod ab acrioribus verbis non abstinuerim, quod ardentius interdum in Rom. Pontificem et Apostolicam illam sedem insurrexerim. Poteram n. et debebam ei quid impugnandum ac reformandum mihi videretur, id per modum solum dubitandi proponens: rationes et authoritates contra commun. nostrorum temporum inter nos doctrinam doctioribus exagitandas offerre, ut sic pacate et amice (ut servos Christi decet) veritatem inquireremus, et non adeo insolenter contra filios matris meae arma sumerem et pugnarem. Nunc tamen quicquid scripsi, quicquid dixi, quicquid sensi, saniori iudicio Ecclesiae catholicae Romani pontificis et sanctae illius sedis subiicio. Sed profecto res ipsae illis duobus voluminibus tractatae, multo plures

difficultates in doctrinâ politica, cõi Pontificiâ mihi suggerebant, quam contra Protestantes. At verò sequentes libri tertio volumine reservatæ eas continent materias in quibus doctrina Protestantis dogmatica cõis mihi visa est sæpe plurimum reprehensibilis, nequ potui pro meâ libertate et sinceritate quicqm dissimulare. Difficultates oẽs contuli cum doctis. Puritani et rigidi Caluinistæ verbis restiterunt, argumentis contra me nihil effecerunt: meis argumentis non satisfecerunt. moderata ingenia ac verè Anglicanæ Ecclesiæ alumni et rarè doctissimi viri mihi consenserunt. Quoniam tamen primarius mei operis typis cudendi revisor et approbator p suum Capellanum vel reprobator erat D. Cantuariensis Caluinianæ ut dixi doctrinæ addictissimus; idcirco tertio meo volumine imprimendo assensum præstare noluit, in quo vel maximè causam tracto unionis et concordiæ ipsi inuisæ, multaisque dogmaticas controuer-

gias libere in Domino agito, amicus
quidem retinens Platonem, amicum So-
cratem, sed magis amicam sequens
veritatem. Illud tamen profiteor, me
dogmaticos Ecclesiae Ang. articulos
in ipsius confessione et doctrina contentos
non oppugnare. In meo n. sensu illi
ad veritatem Catholicae Rom. Ecclesiae
magna ex parte duci possunt. Neque
placuit vestro Principi et pluribus
ex vestris Episcopis et praelatis id
quod ego in uno ex tertii volumi-
nis libro de parca Episcoporum et
Clericorum sustentatione docebam, ~~asse~~ aufe-
rens ipsis mea doctrina proprietatem
in ~~reditus~~ reditus quos ex suis Eccle-
siis colligunt, solo eos usu pro ne-
cessitate relicto. Displicuit etiam quod
Reformationem Cleri urgerem: nullam
sane ego video in Episcopis et Cle-
ro factam esse in Anglia reformationem.
Absunt profecto inter vestros Praela-

tos, salvâ bonorum existimatione, graviores
adhuc abusus quam sint inter Pontificio-
rum nonnullos, non minor luxus, non mi-
nores pompae, non minor avaritia: maior
verò Ecclesiarum et animarum neglectus, domi-
natus Episcoporum mundanus in ipsorum clerum
efficit, ut passim parochi Britanni et mi-
nistri, excipio nonnullos bonos ac pios unio-
nis peramantes, sint acerrimi puritani, quia
dominatum illorum oderunt. De moribus
nihil dico, nihil de simonijs, mirum non est,
quod minora beneficia vendant illi, qui sua
maiora emerunt. Quia igitur meus ille
liber paupertatem ministrorum laudat, luxum,
typhum, avaritiam, symonias acriter insectatur,
ne in publicum typis Anglicanis prodiret
acriter obstiterunt: sed iam diu ultra mare
transcripta aliqua exemplaria transmearunt,
ibiq; impressa, iuris publici, ut aiunt,
facta sunt. Iam igitur alterum meum consili-
um locum nullum in Anglia reliquum habet.

Tertius finis quem praecipuè intendebam,
fuit mihi adeò per puritanos impeditus, ut
spem illius consequendi penè omnem abiecerim.

vnitas fidei et concordia charitatis inter
partes tantopere dissidentes resarciri nō potest,
dicam libere et ingenuè nisi in Britanniae
regno Pontificij libertati pristinae restituatur,
nisi iniustè spoliati, quod iniustè amiserunt,
iniustè recipiant. Causa iusta nulla suberat
cur publicis legibus exercitio antiquo praescrip-
to ab Apostolis maiori ex parte tradito, à Catho-
licis Concilijs et sanctissimis Patribus appro-
bato prohiberentur. Erant in pacificā possessi-
one; quis eos deturbauit? neque à iudice id
factum est competente: neque aut diuini aut
humani iuris ordo seruatus est, vllus, inau-
diti et indefensi per summā vim damnati sunt.
Henricus 8.us cum solo summo Pontifice ne-
gotiū habuit, à solā personā pontificis defecit,
ab Ecclesiā Catholicā, neque ~~tamen~~ neque suum regnū
diuisit, cultū religionis pontificiae intactū
reliquit, quod sibi deberi putauit, arripuit,
in temporalibus nonnihil agitatus non parum
excessit. ~~et~~ cultū diuinū attingere, fidem,
professionē, ritus nō est ausus, sed nec opus
habuit. Sub Edoardo puero illius filio
et in regno successore gubernatores illius di-

initias Ecclesiarum, quas animo impio
devoraverant, inducto calvinismo ipso facto
et reipsa potius Athei quam reforma-
ti sub praetextu reformandis absorbuerunt
et turpi ac miserabili facta tunc primum
scissione, Pontificiorumque penitus abolito
divino cultu, ecclesiam aperto schismate
diviserunt. Ecclesiastici tamen illi in faci-
endâ reformatione moderatione nonnullâ
usi sunt. Subsequuta est Maria Rta nostra,
tota Pontificia iniuste spoliatos suos Pon-
tificios in priorem restituit religionis li-
bertatem, leges omnes contrarias etiam cum
regni Comitijs contra regni Comitia abro-
~~ro~~ gavit. Successit Elizabetha et ipsa
profecto non ~~mi~~ penitus hostis antiquae
religionis, neque tota à Catholicis abhor-
rens, regnandi tamen causâ abiecto Pontifi-
ce, Protestantium iam in regno potentium
operâ se suumque sceptrum sibi censuit
stabiliendum. Addebantur Pontificis illius tem-
poris mores immitiores, et asperiora verba
quae ut animum despenderet Regina, tanto

magis cogebant. Religionem igitur amplexa est sub Protestantium Reformatione nouae pro religione leges contra Pontificios, noua edicta parliamentaria edita, denuo Pontificius cultus suppressus, sed nunquam synodus legitima coacta. Num obiecta contra Pontificiam religionem discussa? num defensiones ipsorum auditae? num erroris et impietatis in religione conuicti? nihil minus. Omnia per vim acta: ea tamen adhibita est moderatio per illius temporis Ecclesiasticos Protestantes, ut neque Lutheri neque Caluini insaniae regulae essent Ecclesiae Anglicanae a Catholica diuellendae. Ritus multi frementibus Puritanis retentae: liturgia paululum a Pontificia missa deflectens, ex ipsorum missalibus collecta et reformata. Hierarchicus ordo ministrorum Geneua fremente institutus, articuli doctrinae omissis Caluini et Lutheri rigoribus compositi, et pro norma fidei

~~datis~~ dati, ac nisi à spiritualibus animatum ~~medelis~~ medelis ad temporalia sceptrorum et diadematum turbamenta non admodum opportunè processum fuissent, facillimè ad plenam concordiam transitus spes subsistisset. Interim occasiones datæ sunt Puritanis ut ~~et~~ et numero et viribus ultra modum excrescerent, sic schisma confirmatum est, ac legibus novis stabilitum. Accepit regnum Jacobus Serenissimus, qui nunc fœliciter regnat, moderata illa quam vocatis reformatio, arrisit ipsi, Puritanorum indiscretio et rabies importuna animum ipsius ~~animi~~ afflixit plurimum. Quis non sponte eum Anglicanam suam Ecclesiam ante omnia ad eum saltem statum redacturum, in quo illa sub moderatione Elizabethæ reginæ est constituta, et Puritanos furores procul ab eâ amandaturum. Quid me in hoc regnum invitavit magis quam spes ~~vid~~ videndi Catholicam religionem, certè Pontificiam etiam cum aliquâ si Rex vellet necessariâ per ipsum ~~reputa~~ reputatâ reformatione ipsius operâ restitutam, et tam deforme tam regnis ip-

sius in utroque homine perniciosum, tum ei eiusque sceptro, ac ipsius visceribus periculosum schisma compressum. Habeatur ratio purae religionis, puritas tamen non à Puritanis certè parum puris, non à Lutheri furiis, non à Calvini audacia, sed à moderato saltem senioris Anglicanae Ecclesiae reformatae spiritu petatur. Cum n. si sequatur Rex, non ipsi unio et amicitia Christiana Ecclesiastica sublato schismate cum Pontificiis stabit. optimè n. novit maiestas sua, quod me quoque hanc rem et multas alias praeclaras docuit Pontificios in fide fundamentali non errare, et in ritibus ~~plurib~~ plurimis antiquis omnino sequendo; in multis verò non adeo antiquis potius tolerandos, quam ut propter res exigui momenti tum diris deoque et hominibus invisum schisma fiat. Bene novit, si in civilibus sint Pontificii ~~[illegible]~~ suae maiestati profectò subiecti et fideles, ita ut suspicionem omnem infidelitatis aboleant, nihil esse quod impediat

ut illi ad suas pristinas religionis li-
bertatem et sanè ex iustitiâ renocentur.
Quid si verò sint revocandi scilicet quia
placitis multis importunis et indiscretis
imò et falsis et fortasse haereticis Lu-
theri et Caluini nō assentiuntur. At
Reformatio in Angliâ nō à Luthero,
non à Caluino, neqz Lutheri neqz Cal-
uini concitatissimo spiritu facta est. Non
defuerunt nec desunt Angliae hōēs et
Luthero et Caluino longè doctiores, pru-
dentiores ut magis pij ac religiosi qui
reformationem proprio ingenio ac rationis
dictamine ex sacrâ Scripturâ, ex Patribus
et sanctis Concilijs rite et ordine si o-
pus fuisset urgere potuerint et possint
qui optimè sciebant et sciunt, Reformatio-
nem Lutheri et Caluini indiscretam fuisse,
et ex oī pte imprudentem, quippe
ab hominibq tumultuantibus, et odio
pessimisqz animi morbis et affectibq
invidiae, elationis, iracundiae (taceo
peiora) turgentibq profecta. Hi ut se
à Rom. Ecclesia meritò separasse viderentur,

haereses in doctrinâ scholasticâ in riti-
bus verò et disciplinâ idololatriae et su-
perstitioni sunt commenti, et quae bono
sensu excusari, et conciliari potérant ip-
si vanissimis concertationib[us] in malam
partem omnino trahentes et pervertentes,
vel ad ipsum Antichristum reducere
nos sunt conati.

Hanc ego modestam Anglicanae Eccle-
siae reformationem, schismatis tamen deformi-
tatem non carentem, à reformatione pu-
ritanâ remotissimam, si in Angliâ invenis-
sem, erat spes et animus me posse
brevi pacem utrâm Ecclesiasticam regni
videre. Huc meae vires collimarunt,
huc studia directa, huc omnia mei
et conatus intenderunt. Sed n[on] reforma-
tur, quod item in substantiâ perseverat.
manere g[ra]o deberet substantialis religio
Pontificia, et si quid in eâ reformandum
esset, id reformationi servatis servandis ri-
tè subiici potuisset. Sed alia religio priore

suppressâ aut compressâ nō erat instituenda, ita ut iam sint duae inter se diversae et pugnantes; nam si posterior est alia à priore nō est reformata prior, sed destructa, et alia nova constructa. Duae religiões Christi esse nō possunt, sed est unica, ut supius diximus de Ecclesiâ. Jam vero dominante Puritanismo et rigorosâ Calvini reformatione, imò verò cum schismate deformatione, quae partim irrepsit tyrannidem exercente, ~~hac~~ hae, consequenter Anglicana Ecclesia iam paenè totâ factâ degeneri ~~et~~ ita ut vel ipsam Ang. Ecclesiā reformatam in ipsâ Ang. Ecclesiâ reformatâ vix agnoscas nisi in paucis bonis, et gementibus concordiā et unionē sperare nō licet. Et nihilominus Ang. Ecclesia libera et sui iuris à charitate Ecclesiae Catholicae pontificiae voto nō separata supplicat devota, et orat quotidie in suâ liturgiâ, ut perpetuò inspiret et conservet universae Ecclesiae spiritū veri-

~~[illegible]~~ ~~et~~ concordiae, praestetque ut omnes qui confitentur nomen Christi consentiant in fide et vera doctrina Evangelij et viuant inter se concordes in charitate. ~~per~~ Parata quae erat concordiam cum pontificijs Christum confitentibus, quantum in ipso erat, amplecti: Cur non id ~~[illegible]~~ peteret, a quo abhorreret, sed Ecclesia Angl. spuria et a Puritanis, hoc est meris Caluinistis conspurcata et oppressa, concordiam hanc et charitatem refugit, et quicquid petebat officit ut concordia non sequatur, et charitas non conglutinetur, sed schisma, sed diuisio perseueret. Desperata vero concordia tertium meum consilium spe frustratus abijcere sum coactus. ~~[illegible]~~

Quartum quoque meum concilium ex praecipua sui parte unum fuit et nihil est consequutum, ~~[illegible]~~ utcunque non summa cum animi mei voluptate meae ~~[illegible]~~ Regiae Maiestati mira sapientia miraque

doctrina sæpius obloctuserunt: at ~~vere tamen~~ veræ tamen fidei defensionem et schismatis extinctionem aditus mihi reperi interclusos. Quid iam tandem facerem? quid amplius discerem et cognoscerem? Nihil superat. scripta mea edi et publicarique non poterant. concordiæ et unionis spes omnis abierat. Regi et regno in spiritualibus inutilis eram, Schisma inveteratum me undique circumcingebat, Altari contra altare erecto, et à charitate Ecclesiæ Catholicæ separato, ego tuta conscientia astare, et cum Puritanis notis schismaticis communicare non poteram, nec debebam. Mea fuerunt perpetua et voce et scripto protestatio, me ab Ecclesiæ Rom. charitate et religiosa unione, neque recessisse, neque unquam velle recedere. Ad eam me redire conscientiæ scrupuli cogunt, cum præsertim in dogmatibus quoque controversis, et sane pluribus, à vestrorum doctorum caterva tota dissentiam, et à communiter iam inter vos dominantibus doctrinæ erroribus abhorream; Melius n. inter vos sentientes pauci sunt, licet sint ex optimis, qui tamen puritanis seu rigidis Caluinistis cedere coguntur,

quibus ego cedere nec potui nec debeo. Anne igitur summo Pontifici me humanissimè invitanti mos gerendus fuit? An non receptui canerem, et in patriam iter dirigerem? Virtus expulsiva exterorum in Angliâ est fortissima, cui respondet non minor in Italiâ et suorum et extraneorum vis attractiva: me tamen nulla opum, nulla dignitatum promissione allexerunt; Testis mihi Deus testis mea conscientia, testes etiam plures viri gravissimi, qui mei reditus negotium adiuverunt. Perlege quaeso exemplar literarum, quas ego scripsi ad veré illustrissimum, veré excellentissimum, et prorsus multis nominibus admirandum virum, ad maxima quaeque natum, D. Comitem de Gondamar suae regiae Catholicae maiestatis hic in Angliâ oratorem, singularem Catholicae religionis zelatorem, ac pijssimum bonorum omnium afflictorum fautorem ac patronum.

Estratto d'una lettera dell' Arcivescovo di Spalato, all'Illmo et Excellmo Sigr Conte di Gondamar Ambass. straordinario di Spagna in Inghilterra scritta sotto li 9 Febraro secondo il nuovo stile 1622.

Sono già intorno otto mesi, ch'o atteso con la

prudenza humana ad assicurare la mia an-
data in Italia con procurare diverse chiarez-
ze, assistenze, protettioni, premissioni, lettere
et brevi per mano o protettione di V. E., ma
non però son io massime in questa età, et dopò
tanti maneggi di negotij gravi et divini et
humani, si mal avveduto, che molto bene
non mi accorga non potersi ~~re~~ ritrovare cau-
tela alcuna humana che sia bastevole à ve-
ramente assicurarmi, stante le gravi offese
che appresso la S. Sede contro me esclamano
ogni volta ~~re~~ che non voglia ella usar meco
la solita sua pietà et clemenza. Per le-
varmi d'Inghilterra (dove V. E. sa quan-
to io sia et sicuro, et commodo, et di questo
Re ben trattato, et accarezzato, anco con nuo-
ve speranze di ~~re~~ rilevo) mi si potriano
dare mille speranze di maggiori avanzamen-
ti temporali, et dopo oprare à loro beneplaci-
to. Tutti gl'amici personaggi di grande consi-
deratione con multiplicate persuasioni mi hanno
avisato ch'io ne mi muova, et mi considerano
raggioni efficacissime, et qui si fa non poco per
trattenermi. Con tutto ciò per far vedere à V.
E. et à tutto il mundo la mia sincerità, et il
ben animo che d'impiegarmi, se mi sarà
concesso, al compito servitio della S. Catholica

Romana chiesa, et di sua Beatitudine, poste a parte tutte le cautele, ò procurate ò hauute ò aspettate, et tutte le promesse, quali lascio libere, nelle mani de chi me l'ha fatte, così senza altro apogio humano, confidato solamente in Dio, spontaneamente da me, non necessitato da caso alcuno, ne tratto da promesse humane mi voglio gettare nelle braccia del nostro S.mo Padre Gregorio XV., et di quella santa sede, vorrei per tanto con l'aiuto et scorta di V. E. passar à Brusselles ò à Parigi con le sole lettere dell' Ill.mo Sig.re Cardinale Madino à quelli Ill.mi principi, et nell'uno, ò nell' altro luogo fermarmi sino alla mia totale espeditione. Vado spontaneamente senza certezza di sicurezza alcuna, preuedendo il pericolo al quale m'espongo, disposto di volerlo con animo intrepido incontrare sotto la sola confidenza della diuina protettione, et della misericordia di sua santità, perche anco in questa andata alla gloria di Dio principalmente miro. In Brusselles, ò in Parigi aspettarò non solamente promesse già sicure, ch'essendo uscito d'Inghilterra di mia spontanea volontà, et dato mi nelle mani loro, le arti non haueranno piu

~~to~~ luogo per cavarmene) ma anco esse-
cutioni, et aggravamenti, ò grandi, ò piccioli,
ò quelli che saranno. Il zelo, ~~e~~ valore
et prudenza di V. E. notoria à tutta la ~~Chri~~
Christianità, et particolarmente sperimentata dal-
li Catholici di questo Regno, et il suo benig-
no et pio procedere verso di me m'assi
curano che continuarà la protettione di
questa sua opera sino à ridurla al fine
conveniente, come io spero che sarà con
l'autorità di V. E. &c.

Quam ego unionem et concordiam nõ potui
inter vos degens multũ promovere, à
vobis absens fortasse melius promovebo: non
n. desistam, quamdiu ~~ego~~ vixero, ubicunqz
fuero, pro tam magno Deóqz acceptiss.° unio-
nis negotio quãtũ potero laborare. Et qui
vestri Regis christianissimi virtutũ multarũ at-
tentus fui p quinquenniũ et ultra spectato-
ter, ~~et~~ ero profectò laudũ quoqz ipsius ppe-
tuus et ubiqz fidelissi.° testis et narrator. Ego
mihi planè psuadeo Deũ op. max.ũ Regẽ
ipsũ sũ insigni sapiã donasse, et ita regna
sua sapienter eũ regere voluisse, ut quod
et prodecessores suorũ, et aliorũ extra ipsius
regna principes vel magnatũ insipientia

in faciendo schismate, vano errore in relligione perpetuo peccatum est, ille sua sapientia Dei insignis minister, in suis regnis opere, in alienis exemplo, et auctoritate corrigeret, et reformaret. Justitiae et aequitatis amor Regem ipsum apud Deum ac Deo sequentes gloriosum, apud homines humana duntaxat, neque recta consilia sequentes, minirum plene stultos, reprehensibilem fecit aliquo modo et contemptibilem. Prudentiae humanae esse putarent illi prudentiae divinae expertes, ut Rex sapientiss.us pro schismate generali defendendo laboraret et se belli periculosis pariter ac iniustis implicaret, eiusque schismatis caput constitueret. Ipse illis prudentior cogitaverat pacis semper cogitationes non afflictionis. Pergat igitur a Deo benedictus et benedicendus pro sua magna sapientia per concordiam relligionis bellis civilibus inter Christianos occasiones auferre, et bellorum radices succidere, ac pacem rbem permanere, et arma Christianorum in Christianorum hostem acerrimum communibus omnium viribus imminentem convertere. Unam vero incipiat a Domo sua, nec n. poterit efficacius operam, ut cupit, paci principum exterorum consanguineorum et amicorum commodare, nisi prius in-

tra viscera suorum regnorum plenam inter-
nam pacem fuerit consequutus, illam
nimirum pacem, quam religionis dissidia sus-
tulerunt. Pacem hanc vi et oppressione
alterius partis qui sperant et promovere
cupiunt à scopo pacis longissime aberrant.
Causa n. religionis causa Dei est, conscienti-
as attingit: ad conscientias vis externa non
penetrat. Leges huic conscijs non domi-
nantur, nullum violentum perpetuum, vis
in religione nunquam pacem, semper tur-
bationes, semper bella suscitat, aut saltem
dissidia auget et accendit magis quam
comprimat et extinguat. via porro sin-
gularis ad hanc pacem ducens sola,
ut mihi videtur, nunc est si Ponti-
ficijs non modo conscientia interna libe-
ra sed etiam exercitium externum reli-
gionis ac divini cultus liberum sublatis
contrarijs et plane iniustis legibus quae
religionem solam non civilem potentiam res-
piciant, in his quae maiestatis Regnis
relinquatur; hisce tamen adhibitis cautel-
lis iustis et honestis. ut ante omnia civi-

lis obedientia et fidelitas omnino er-
ga suum Regem perfecta ac absoluta ac
perpetua omni exceptione ac reservatione
remota stabiliatur iuramento fidelitatis
ita accomodato ut perfectam hanc ac
et perpetuam obedientiam ac fidelitatem
polliceatur exclusa in genere omni
exceptione ac reservatione, aut limitatione,
me, Pontifice tamen Romano, non
nominato. Iuramentum profecto fidelita-
tis à Regia maiestate aliud iuste exigi
non potest à suis subditis nisi pro-
missorium. assertoria iuramenta circa
circa ius ad Rem non sunt. fidei
confessiones iuramento assertorio firmantur,
non codicilli fidelitatis. Rem de iure
ita esse quis iuramento affirmet nō
temere, si ius ignoraverit. popularia
iuramenta ad factum duntaxat restrin-
genda; quae in facto sunt, potest quilibet
etiam de minuta plebe et scire et
promittere; non itaque iuris sunt. om-
nino ergo omnis assertoria iuris sunt ex
illo iuramento auferenda, et promis-

gerium solummodo ac circa factum totum
illud esse debet, omni exceptione expressa
et limitatione sublata in perpetuum servan=
dum. Si vero moderatum iuramentum
nemo iusti recusare potuit, nemo re=
prehendere, nemo, [illegible] ne praestetur,
impedire. Moderationem vero indicio
faciendam non multo [illegible] post tibi
proponam.-

II. Ut non fiant privatae et secretae
[illegible] coitiones ad missas, ad conciones
divina officia et sacramenta, quae sus-
pecta statui politico esse possunt, sed
publica habeant pontificii sacrorum ex-
ercitationum loca omnibus propria per Regiam
Maiestatem eis assignanda.

III. Ut vel unica et sola [illegible] indivi-
sa sit religio et perfecta communio inter
Angl. Ecclesias et Pontificias etiam
iuramento sub [illegible] mutua tolerantia ritu-
um et quarundam opinionum ad funda-
mentalem fidem non spectantium di-
versitate, formata tamen charitate. vel
si statim per unitas hoc conciliari non

possit, securis legibus pax inter partes
et mutua tolerantia stabiliatur, ut al-
tera alteram ~~inq~~ injurijs, probris, nomini-
bus odiosis non irritet aut laedat, sed
in civilibus ac humanis plene concordent,
in divinis vero ~~et~~ utraque pars abundet
in sensu suo, quousque ad plenam
concordiam via aliqua et divina mi-
sericordia capiat.

IIII. In popularibus concionibus utriusque
partis, concionatores sub gravioribus poe-
nis coerceantur, ne in contentiosis trac-
tandis adversam partem damnent, aut con-
futent, sed suam quisque partem possit
modeste corroborare. Disputationes a Cathe-
dris et scholasticas exercitationibus sive ore
tenus sive scripto et non nisi Latine
agitandae reservarentur. His cautelis
restituta libertati Ecclesiae Pontificiae
in hoc regno danda non modo ex justi-
tia debita est, sed etiam Regiae Mati et
Regno pro pace conservanda plurimum necessaria,
apprime utilis, commoda, et proficua, hi-

am ad felicioram hosnedus Regni p Ca-
rolus Lectiss^m principes propagaoem. si
reformatio aut dogmatus aut ritius in
pontificia religior pretenditur, tollatur ante
oia schisma. deinde cennoctatis legitimis
synodis riti et canonice examinentur ~~ac~~
~~de~~ et discutiantur oia, pontificiorz ~~diffinio~~
defensores audiantur, et si qd reformandu
necio erit, id rite et ordine sed absqs
schismate fiat. In legitimo examine con-
stabit profecto dimissionem oio facta fuisse
iniustisse et plurima que reformanda pro
tantur nulla indigere reformaor cogo-
noscuntur, deformationis ingentis causam
fuisse eorum pperas factam reformaorum
liquido apparebit. Atqs ut constet tibi et
cuiuscunqs docto ac discreto viro ius-
tu et honestu ex eo quod a me pro-
ponitur, et sub debitis cautelis pontificij
in his Regnis ~~in~~ pristinae libertati resti-
tuantur sequentem ~~capita~~ capita veritatis
catholicor a me et voce et calamo plene
defendenda ppono; ex quibus oes obtiones con-
cidant, et impedimenta tollantur, ne quis

Protestantium aut puritanorum restitutioni illi recte obsisti ac resisti possit in bona Theologia. Ad hoc te Halle, provoco, provoco et vestros Puritanos.

Primum caput: Ista fides fundamentalis Ecclesiae Christianae Cathol: penes Pontificios quoad publicam ipsorum Ecclesiae professionem integra est illaesa, et incorrupta, nullisque haeresibus contaminata, consequenter Pontificij nomine haeresis nemini sunt vitandi, a communione abijciendi, nulla vi comprimendi, nullis incommodis affligendi, nullo modo suae religionis exercitio privandi.

2um: Ritus sacri Ecclesiae Pontificiae Idololatrici de se vere et proprie nulli sunt, nulli perniciose superstitiosi, maxima ex parte sunt laudabiles et sancti, omnes tolerabiles.

3um: Nihil fide divina Christiano homini credendum est, quod vel sacra Scriptura canonica expressa et clare absque ulla obscuritate et Catholicae interpretationi veritate, et a Deo revelatum, non proponit, vel quod et tale ab Apostolis Apostolicisque viris explicatum et declaratum Ecclesiae, omni obscuritate sublata traditum non fuerit: Haec sola regula

fidei est, per quod solam quicquid Eccle-
sia Concilia et Pontifices expresserunt,
~~idde~~ fide firma credendum est, aliud
non item, sed in libertate manet opinandi;
omnia autem fundamentalia et necessaria ad
salutem aut iam in Scriptura ex se clara
sunt aut per hanc regulam sunt in Eccles.
Catholica definita.

4m. Ecclesia quaecunque Christi, etiamsi prae-
sumatur in aliquo abusu citra haeresim
et idololatriam esse deformata, reformari
non debet cum divisione et scissura Eccles.
catholicae. Schisma enim est longe gravius ma-
lum quam quaecunque deformatio. Erraverunt
ergo Lutherus et Calvinus, eorumque socii et
sequaces, dum sub praetextu reformationis ab
Eccles. Pontificia defecerunt, et ab ea
tot fideles divulserunt et altaria contra
altaria absque ulla charitatis ratione
etiam inter se erexerunt, ac schisma fecerunt.

5m. A crimine schismatis se liberare non
possunt Protestantes quicunque nisi per ipsos
non stat quominus cum Eccles. Pontifici-
a quae vere in fundamento Catholica est, in
fide et charitate plene communicent. At praeten-
dere, nisi illi qui cultum externum religionis

Pontificijs abstulerunt, illud libere resti-
tuant, et altare contra altare erectum oīo
destruant, quin potius Altari catholico con-
iungant, legesq; iniustas aut cultum Pon-
tificium abolentes, aut hoẽs ad Ecclesias et
sacra Protestantium profecto hac ~~vsq; ad~~
schismaticorum ad minimum compellentes
~~vel~~ penitus abrogent.

6^{tm}. Potest aliquis vel ex apparenti a-
liquâ causâ vel errore aliquo seductus
a psonâ solâ summi Pontificis tantisp
desciscere, sed interim tenetur cum Ecclesijs
oibq Pontificijs in fide fundamentali
et charitate coīcare, malumq; schismatis
euitare;

7^{m}. Si quis iniustè ab Ecclesijs Pontifi-
cijs aliquo suo errore interueniente ana-
thematizetur, et à cōiōe earum p ipsas re-
pelletur, is non potest sine crimine schisma-
tis seorsim conuentus Ecclesiasticos agere,
et altare contra altare erigere, sed tenetur
vnionem cum illis Ecclesijs quæ in ipso est,
cum suis affectis in fide et charitate,
exclusis ~~et~~ erroribus et abusibus, si qui
verè tales adsint, conseruare, protestari et

profiteri, et sacra pontificiorum frequentare, quanto magis qui iusto et praesertim propter iniustum factum et schisma ab illis abijcitur.

Haec omnia verissima esse facili negotio me spero probaturum, et ab omni contraria obiectione vindicaturum; sic doctissimos quosque vestros Eccles. Anglicanae viros quoscunque Calvini rigores et puritanorum insaniam non dementarunt, his doctrinae Catho. capitibus in intimis saltem praecordijs, nam et hoc iam expertus sum, assensuros. Spero Mtem quoque Regiam perspicacissimo illo suo ingenio ab his non dissensuram. Nam praecipua ex his ex proprio Matis sermone ore meis auribus audiss., laetor plurimum et gratulor. Si Rex doctissimus haec ipsa et similia doctrinae capita tanquam alter magnus nostrorum temporum Constantinus in synodo sui regni generali in cuius medio ipse se sisteret, dignaretur discutienda proponere, ne modum agitatur interdum parliamentum ipsa synodus otiosa sederet, suffragiaque sigillatim (data prius et omni infinita dicendi libertate,) et sententias colligeret profecto doctissimos quosque ac pacatissimi ingenij

viros doctrinam hanc confirmare audi-
ret, et vos ad pacem et ac schismatis
~~distinctionem~~ extinctionem vergere planè cog-
nosceret,. Cur ergo publicus divinus cul-
tus Pontificijs impediatur, quid in hoc iuris
habet Laicum Parliamentum: cur prorsum
spoliati in suum statum non restituantur: si
quid repurgandum sit, id sine schismate et
ubiis dicti et legitime fiat, alijs pax coiois
regni conservetur. Inde etiam via amplissima
aperietur ad omnium Christi Ecclesiarum concor-
diam vtilem ineundam.

Pugnam satis cum vestris Puritanis ~~qui~~ cominus
~~mi~~ vt vos ad consentiendum paci huic
tam necessariae adducerem, totum cum illis
frustra sit: non ita cum vobis verae Ec-
clesiae Anglicanae et filijs et parentibus: iam
statui omnino ac prorsum liberius cum ill-
lis refractarijs et cum Lerna illa Calvini
Lemani lacus puritanorum matre et schisma-
tum fonte pestilenti decertare, quae vtinam
~~et~~ spiritu lenitatis imbuatur, et à Calvini fu-
rijs recedat, vt sit nobis soror dilectissima,
Interim vero te fratrem meum dilectissimum, ego
tuus hactenus in Wolver-hamptonensi Eccle-
sia Decanus per Christi charitatem oro et
obtestor, vt pacis Ecclesiasticae et vnionis de-
siderium tu quoque concipias foveas, et quantum
in te est, pro tua virili pacem ipsam pro-

mendas, super omnia vero precibus ardentibus apud Deum instes, ut Ecclesiam suam Sanctam ad unitatem et perfectam concordiam sua potenti gratia dignetur reducere, meque et alios in hoc genere laborantes adiuvare, ut uno sensu, unoque spiritu omnes glorificemus Deum patrem Domini nostri Jesu Christi in saecula amen.

Juramentum Britannicum.

Ego A. B. vere et sincere agnosco, profiteor, et declaro in conscientia mea coram Deo et mundo, quod supremus Dominus noster R. Jac. est legitimus et verus R. huius regni, et omnium aliorum Maiestatis suae dominiorum et terrarum; et quod Papa nec per seipsum nec per ullam aliam auctoritatem Ecclesiae vel sedis Romanae, vel per ulla media cum quibuscunque aliis, aliquam potestatem vel auctoritatem habeat Regem deponendi, vel aliquorum Maiestatis suae dominiorum vel regnorum disponendi, vel alicui principi extraneo ipsum damnificandi, aut terras suas invadendi auctoritatem concedendi, vel ullos subditos suos vel ab eorum suae Maiestati obedientia et subiectione exonerandi aut ullis eorum licentiam dandi arma contra ipsum gerendi, tumultus seminandi, aut aliquam violentiam

aut damnum ma^tis ~~su~~ suae personae, statui,
vel regimini, vel aliquibus suis subditis
infra sua dominia auferendi. Item iuro
ex corde, quod non obstante aliquâ declara-
tione vel sententiâ excommunicationis aut deponi-
nationis factâ vel concessâ ~~vel~~ aut faciun-
dâ vel concedendâ per papam, ~~et~~ vel successo-
res suos, vel per quamcunque auctoritatem de-
rivatam aut derivari praetensam ab illo seu
a suâ sede contra dictum Regem haeredes
aut successores suos, vel quacunque absolutione
dictorum subditorum ab eorum obedientiâ, fidelitatem
tamen et veram obedientiam suae ma^ti haeredibus
et successoribus suis praestabo, ipsumque et ipsos
totis meis ~~vi~~ viribus contra omnes conspirationes
et attentata quaecunque quae contra personam
illius ~~vel~~ vel illorum seu eorumque coronam et
dignitatem ratione vel colore alicuius
sententiae vel declarationis aut alias facta fu-
erint, defendendas, [redacted] omnique operam im-
pendam revelare, et manifestum facere suae
ma^ti haeredibus et successoribus suis, omnes pro-
ditiones et proditorias conspirationes quae contra
illum aut aliquos illorum ad notitiam vel
auditum meum pervenerint: Praeterea iuro
quod ex corde abhorreo, detestor, et abiuro
tanquam ~~im~~ impiam et haereticam hanc doc-
trinam et propositionem quod principes per papam

excommunicati vel deprivati possint per suos subditos vel alios quoscunque deponi et occidi.

Et ulterius credo, et in conscientia mea resolvor, quod nec Papa nec alius quicunque potestatem habet, me ab hoc iuramento aut aliqua eius parte absolvendi, quod iuramentum agnosco recta ac plena authoritate esse mihi legitime ministratum, omnibusque indulgentiis ac dispensationibus in contrarium renuncio, haecque omnia plene ac sincere agnosco: Et iuro iuxta expressa verba per me hic prolata et iuxta planum ac communem sensum et intellectum eorundem verborum absque ulla aequivocatione aut mentali evasione vel secreta reservatione quacunque, hanc recognitionem et agnitionem facio cordialiter, voluntarie et vere in vera fide Christiani viri, sic me Deus adiuvet.

Idem fidelitatis iuramentum sub verbis moderationibus et hoc melius iudicio utriusque considerandum proponitur.

Ego A. B. vere ac sincere agnosco, profiteor, testificor et declaro in conscientia mea coram Deo et mundo, me sicut ~~nunc~~ nunc agnosco ita perpetuo agniturum Dominum nostrum Regem Iacobum pro legitimo, vero ac supremo huius Regni rege, et omnium aliorum suae

dominiorum et terrarum, neque me unquam
in contrarium facto ullo cuiquam assentu-
rum, qui potestatem aliquam vel authorita-
tem hanc praetextu Regem deponendi, vel ali-
quem maiestatis suae dominiorum vel reg-
norum disponendi, vel alicui principi exte-
rnorum ipsum damnificare aut terras suas
invadere auctoritatem concedendi; vel ullos
subditorum suorum ab eorum suae Ma[tis] obedien-
tia et subiectione exonerandi, aut ullis eo-
rum licentiam dare arma contra ipsum
gerendi, tumultus seminandi, aut aliquam
violentiam aut damnum maiestatis suae
personae, statui, vel regimini vel alicui
ex eius subditis infra sua dominia
offerendi. Item iuro ex corde, quod non
obstante quacunque aut sententia aut
declaratione per quemcunque potestatem (solo
Deo excepto) facta vel concessa, aut
facienda vel concedenda, fidelitatem tamen
plenam et veram civilem obedientiam suae
Ma[ti], haeredibus et successoribus suis praestabo,
neque unquam per ullam cuiuscunque hominis partem
quacunque potestate praeditum, et authoritate

aut sententiam aut declarationem, aut cen-
suram me liberum existimabo, quin de-
beam perpetuo et iure divino teneor ipsi
Regi et successoribus absque ulla exceptione
aut limitatione aut reservatione dictam plenam
et perfectam civilem obedientiam praestare,
ipsumque Regem et ipsos successores totis
meis viribus contra omnes conspirationes
et attentata quaecunque quae contra personam
illius vel illorum eorumque coronam et dig-
nitatem, ratione vel colore alicuius senten-
tiae, censurae, vel declarationis aut alias
facta fuerint, defendam omnemque operam
impendam revelare, et manifesta facere
Suae Maiestati, haeredibus et successoribus suis
omnes proditiones et proditorias conspirationes
quae contra illum aut aliquos illorum ad no-
titiam vel auditum meum pervenerint.
Praeterea iuro quod ex corde semper ab-
horrebo, detestabor, et abiurabo tanquam im-
piam et veri detestabilem hanc doctrinam
quod Principes Legitime etiam post quam-
cunque cuiuscunque Papae hominis sententi-
as, censuras, vel declarationem aut depris

nãoem ~~pr~~ possint, p quos subditos vel
aliquos alios quoscumqs deponi et occidi,
Et vlterius quia credo, et in conscia
meâ resoluor quod nulla sit potestas
in terris, quae me ab hoc iuramento
et ab hac fidelitatis pstanda obligare, quae
iuris diuini est scio, possit liberare et ab-
soluere, et cum pariter scio et sta-
re iuramentum hoc rectâ ab plenâ auc-
toritate esse mihi legitimè ministratum,
ideo oibus indulgentijs et dispensaoibus in
contrarium etiam si ~~hy~~ legitimè requirentis
ita renuncio, ~~et~~ et promitto nunquam in facto
me ijs ad praeiudicium dicti Regiae pstatis
haeredum, ~~suc~~ et successorum esse vsurum,
hocqs oia plenè ac sincerè agnosco, et
iuro iuxta expressa verba et p me hic
prolata, et iuxta planum et eorum sensum,
et intellectum eorundem verborum absqs ullâ
aequiuocaoe aut mentali euasione, vel secre-
tâ reseruatione quacunqs, hancqs recognitionem
et agnitionem facio cordialiter, ~~volunt~~
voluntarie et verè in verâ fide Christia-
ni viri. Sic me Deus adiuuet.

~~Atqs~~ Atq3 et adhuc res mea melius tibi
innotescat, Halle, scito magnã ex parte
mee orationis argumenta fuisse prius à serenissi-
mã Regia Maiestate ~~prius~~ considerata, mihique
eiusdem Matis noie pluribus vocibus pro-
posita, et si quid mihi responsionis suppete-
ret quae mihi occasione mearum ad Regem
literarum proposita fuerint, et obiecta, qd
ego pariter responderim, ~~tu~~ cupio te quo-
q3 scias. Ea iam accipe.

Illa responsio ē in libro edito. pag. 5.





Alter Ecebolius Spalatensis Archiepiscopus, M. Antonivs De Dominis pluribus Dominis inseruire doctus.



Omine venerande, Si hæc ad postremas tuas Responsio tua exspectatione tardior acciderit, id ego te velim secum diffidentis animi mei diuturnæ contentioni tribuere. Haud enim facile á me potui impetrare, vt consilium, quod olim mihi a quodam amico meo, prudenti viro, suggestum memini, insuper haberem. Is, cum primùm in familiam Illustrissimi viri, optimeq; de hoc regno Anglicano meriti, *Domini de Burley*, summi tunc Angliæ Thesaurarij, asciscerer, vt ei à sacris essem, prudenter monuit, ne in ea quæ nihil ad me pertinerent, curiosiùs inquirerem, et si quæ fortasse, dum commissa mihi prouincia fungerer, huius generis observare me contingeret, ea cauerem foras indicio meo apud amicos eliminare. Id tamen est

authoritatis apud me tuæ pondus, vt quod antea nunquam fecisse me memini, ex quo primum in Aula versatus sum, id, satisfaciendi tibi desiderio victus, sim facturus. Idq;, fateor, eò libentiùs, quod Regi serenissimo, ad id, de quo scribis negotium, meam, inter alios, operam adhibere visum sit, totamq; adeo rei veritatem tibi possim, ex ipsius hominis ore, signatisq; tabulis, exponere.

Præcipua autem *capita*, quod ad hanc de Archi-Episcopi ad *Ecclesiam Romanã* reditu famam attinet, de quibus tibi cupis satisfieri; Hæc sunt.

Primò, qui fieri potuerit, vt quod repente tanto murmure tam late diffusum est, antea nemo præsenserit; Cum præsertim fama pervaserit reditum ipsius *Romam*, ad reconciliandam *Ecclesiam Anglicanam*, *Romæ*, et alibi quoq; vulgo iactatum fuisse.

2°. Quomodo *Regiam Maiestatē* existimationem a suspitione liberaverit, ne vulgares hæ, de reditus ipsius causis coniecturæ, aliquod ab ipso Rege fundamentum habuisse videantur.

3°. Quomodo insignem hanc in *Regem serenissimum* iniuriam sit expiaturus, si constiterit, ipsum Regem rumoribus hisce occasionem nullam præbuisse.

4°. Quæ sit eius de presenti *Ecclesiæ Anglicanæ* statu sententia, quaue illam ratione putet *Ecclesiæ Romanæ* reconciliari posse, vt tamen a pristinis *papismi* superstitionibus immunem se seruet.

5°. Quam partem schismatis ream agat; *Anglicanamne an Romanam Ecclesiam*; Aut an ita putet vtriusq; Ecclesiæ sententias ac iudicia, tam ab hæresi quam à schismate libera esse, vt perinde sit ab hac ad illam transire, ac si quis à particulari aliqua Ecclesia, ad aliam conce-

concederet, eiusdem status Ecclesiam; atq; ita ambas æque pro vnius eiusdemq; Ecclesiæ Catholicæ membris habeat.

6° Deniq; (quod tu maximè velle videris) qua tandem interpretatione, varias scriptorum suorum theses et assertiones eludat, quibus *Ecclesiæ Romanæ* dogmatibus aperte contradicit; Illa quoq; probra qua ratione diluat, quibus nonnulla *Ecclesiæ illius* dogmata, vt heretica, et schismatica; eius autem gubernationem, vt Antichristianam ac tyrannicam suggillat.

Ad hec omnia responsurus, ante omnia scire te velim, aliquanto ante quàm in hanc flammam scintilla latens erumperet, iam apud exteros rem vulgò perhiberi solitam, Regi non ignotum fuisse. Adeo vt sexto Ianuarij (qui dies Epiphaniæ solemnitate sacer est) cum postremùm Rex vidit *Archi-Episcopum Spalatensem*, semel habuerit in animo, delatos ad se quosdã rumores ipsi comunicare; simul et vnde eos ortos existimaret, explorare. Verum tantam de ipsius probitate et integritate *Rex* opinionem conceperat, vt silentio rem premere maluerit, quam Archi-Episcopo suspicandi causam dare, quasi de ipsius fide dubitaret.

Paucis vero posthæc diebus, *Rex serenissimus*, acceptis ab *Archi-Episcopo* literis decimo-sexto Ianuarij scriptis, quibus ille suum Regiæ Maiestati de reditu propositum significabat, et ad id facilẽ suæ Maiestatis assensum implorabat, delatos antea rumores Rex Serenissimus altiùs infixit animo, et literas illas valde indignabundus legit: Ad quarum lectionem Londinensi Episcopo, *Me* quoq;, et *Decano Wintoniensi*, (qui tunc illi præsentes adstabamus) aduocatis, adire nos ad Archi-Episcopum statim iussit, rationemq;

nobis, hanc cum eo rem expoſtulandi, præſcripſit; e-umq; ad ſe purgandum, in eis, quæ ſigillatim à nobis obijcerentur, vrgeremus, iniunxit.

Hoc autem noſtrum cum eo colloquium, ſiue expoſtulatio, multa poſtea peperit; quæ omnia tibi bonâ fide, eo ordine referam, quo, a viceſimo primo Ianuarij ad hanc vſq; diem, ſingula contigerunt: vt poſtquam ea perlegeris, plene tibi de illibatâ et inconcuſſâ *Regis* noſtri in negotio Religionis integritate conſtet; eumq; adeo cauiſſe exiſtimationi ſuæ intelligas, vt neq; dicto neq; facto, et ne minimo quidem ad Archi-Epiſcopum ſcriptionis apice, quicquam ſit ab eo profectum, quod his ſuſpitionibus vel minimam præberet occaſionem; eademq; operâ perſpicias, quid tibi de Archi-Epiſcopo cenſendum ſit, quam ille indignum ſe præbuerit eâ gratiâ, quam apud Regem conſecutus erat: quam laxæ ſit in ipſo Religionis negotio religionis et conſcientiæ; quantum denique mutatus ſit ab illo, qui quondam fuit, aut potius eſſe ſe, nouus hîc incola, ſimulauerat. Atq; ita erunt omnia tibi vere pleneq; cognita, quæ fuerunt à te propoſita.

Archi-

Archi-Epiſcopi Spalatenſis Epiſtola ad Regem, data 16to. Ianuarij. 1621mo.

Sereniſſimo ac potentiſſimo, magnæ Britanniæ &c. Regi Iacobo, Fidei defenſori &c. M. Antonius de Dominis Archi-Epiſcopus Spalatenſis Fælicitatem.



Vi meum ex Italia diſceſſum, et in Angliam transfretationem ægerrime tulerunt Romani Pontifices, ijdem, tum Paulus quintus, *tum, qui nunc viuit* Gregorius decimus quintus *me reuocare, varijs adhibitis nuntijs, ſategerunt. Ego tamen aures ſurdas præbui. Nuper vero, cum rurſus idem ſummus Pontifex, de meo, in promovendâ omnium Christi eccleſiarum unione, zelo certior factus,* novo conatu me curauerit inuitandum, *ac ſolam diuinam gloriam, ſe, meæ quoq; opellæ vſu, etiam* ad huius *veſtræ Maieſtatis* Regni interuam pacem, et tranquillitatem, *quærere ſignificarit, aures omnino patentes, uel ipsâ conſcientiâ dictante, me exhibere oportuit. Accedunt iam gravioris ſenij incommoda, et cæli admodum frigidi intemperies, ac iniuriæ, meorum quoque inter extraneos, charorum, in mei gerenda cura exactiori, magnus defectus, quæ meo corpori iam moleſtiſſimā reddunt in hoc climate commorationem. Perſunctus laboribus, perfruitus à veſtra clementia habitis vitæ commodis, ornatus tot Regijs, et cumulatus beneficijs, memoriam, et gratitudinem perpetuam pollicior, et*

iugem offero in vestræ Maiestatis obsequijs, vbicunq; fuero, perseuerantiam: Ero vbiq; lauaum vestrarum præco, et buccinator. Si negotio vltima manus imposita fuerit, *spero me veniam a vestra Maiestate abeundi,* nihil imminuta erga me ipsius gratia, *impetraturum. Gratulor Maiestati vestræ pro singulari ingentis periculi, summo Dei beneficio, euasione, qui dilectum suum ad magnum, vt spero, Ecclesiæ bonum, seruat incolumem. Vale Regum decus, et ornamentum. Ex domo Savoyensi, die 16to. Ianuarij 1621mo.*

Maiestati vestræ Serenissimæ
perpetuò addictissimus

M. Antonius de Dominis
Archi-Episcopus Spalatensis.

RELATIO *quam* Londinensis *et* Dunelmensis *Episcopi, vnàcum Decano* VVintoniensi *Regiæ Maiestati exhibuerunt,* COLLOQVII, *quod cum Archi-Episcopo Spalatensi* 21. *Ianuarij* 1621. *habuerunt.*



DIe et anno prædictis, *Regiæ Maiestatis* iussu, Episcopi *Londinensis*, atq; *Dunelmensis*, vnà cum Decano *Wintoniensi*, adierũt Archi-Episcopum *Spalatensem*, eiq; narrarunt Regem Serenissimum literis ipsius ad se nuperimè datis, inductum, eos ad ipsum misisse, vt quærerent quid sibi velint nonnulla, quæ in eisdem literis haberentur: de quibus, quod *ipsi* mira admodum viderentur, cuperet *Maiestas sua* sibi ab ipso satisfieri.

Et primò quidem, vnde factum, vt ipse Archi-Episcopus (prout eædem literæ testantur) cum Pontificibus Romanis, *Paulo quinto*, et *Gregorio decimo quinto* ageret, et consilia sua communicaret; neque tamen id *Regi* vllo unquam indicio significaverit: cum tamen eodem tempore, quascunq; ab amicis suis exteris, literas acceperat, diligentissimè communicare sit solitus. I.

Ad hoc respondit; se quidem nunquam *immediatè* aut literas; aut nuntium aliquod, ab hisce Pontificibus accepisse: certiorem se tamen fuisse ab amicis suis factum, reditum suum eisdem omninò non ingratũ fore. Qui quidem amici, quod et ei benè cuperent, et paulo dutius à Republicâ, in quâ viverẽt, quia ipse abesset, haberentur, summo conatu reditum ipsius moliebantur.

Quæsitum

II. Quæsitum deinde, quid illis amicorum literis factum; posse enim, si proferantur, vsui esse, ad amoliendam ab ipso suspicionem.

Respondit; eas se quidem nihili pendisse; ac proinde, vt quasq; acceperat, igni statim tradidisse, veritum, ne si forte ad notitiam, aut Regis, aut aliorum, peruenirent, occasionem darent, idem de se, quod de fugitiuo illo Nebulone *Ascanio*, suspicandi: qui literas, quasi à Cardinali *Burgesio* ad se scriptas, sigillo eius insuper ementito, commentus est; vt se pluris hîc æstimari faceret, pluraq; ac maiora inde commoda perciperet.

III. Cum ad hæc diceretur, longe disparem esse personarum conditionem, quin et præclaram illam existimationem atq; opinionem, quam de eo et *Rex* ipse, et passim alij hic apud nos, conceperant, posse eum ab omni huiusmodi suspicione facile vindicare:

Respondit; verum quidem esse, et plurimi se hîc ab omnibus fieri, et inter personas ipsorum plurimum interesse; se tamen omnino metuisse, ne idem de se suspicarentur homines, quia res ipsa, eadem videri possit.

IIII. Cum ab eo quæreretur, quid esset *nouus ille Conatus, quo se invitatum* à presenti Pontifice memorent ipsius literæ; et quibus modis atq; medijs, Pontificis erga se animus innotuerit:

Respondit; *non alium* fuisse *Conatum illum*, aut alíusmodi, quàm quod ante dixit, sibi per amicos, de Pontificis erga se voluntate, significatum fuisse. Cui tamen significationi, vt fidem adhiberet, eò se nunc facilius adduci, quia acceperat, illius famam, *Venetijs* iam publicè diuulgari. Neq; dubitare se, quin hîc *Londini* etiam pro comperto habeatur, se de reditu cogitare. Quin et in eum finem, ab ipso Pontifice diploma

paucos

paucos intra dies accepturum se, ab amicis suis esse sibi confirmatum.

5 Quæsitum porro, vnde animum induxerit, vt crederet, suos apud *Pontificem* conatus, ad internam pacem, atq; tranquillitatem huius regni procurandam et firmandam, prout literæ ipsius polliceri visæ sunt, vllatenus prodesse posse.

Respondit *Ille*, se sperare suâ operâ persuasum iri *Pontifici*, vti serio ageret cum huius regni *Pontificijs*, vtq; adeô efficeret, vt *iuramentum fidelitatis Maiestati Regiæ* præstarent vniuersi.

Illi contra; Prouinciam ipsum in se duram nimis, ac longe supra vires, esse suscepturum. Cum *Prastonus*, *Græneus*, alijq; nonnulli *Sacerdotes Pontificij*, non aliâ de causâ persecutionem a suis paterentur, quam quod *iuramentum* illud approbarent. Qui tamẽ in alijs omnibus *Romanæ Religionis* capitibus, firmi perstabant, et immobiles. Deinde ad internam pacem et amorem mutuum, inter *Maiestatis eius* subditos stabiliendum, *iuramenti huius præstationem* non sufficere. *Protestantes* enim omnes pro hæreticis haberi à *Pontificijs*; qui illos vbicunq; superiores euaserint, acerrimè persequi soleant. Quod experta est olim *Anglia* hæc nostra, ac etiamnum hodie vicina *Gallia* experitur. Quamdiu illis hæretici essemus, ne minimam quidem spem esse, fore aliquando, vt ad *Ecclesiarum nostrarum Communionem* aggregati, eadem nobiscum sacra, in præcibus, Concionibus, sacramentisq; Colant. Præterea, frustra sperari, *Ecclesiam Romanam, ejusq; summum Pontificem*, errores suos agnituros tandem, ac eieraturos. Deniq; facile illi esse in memoriam reuocare, quod in historiâ Concilij

C Triden-

Tridenti nuper editâ ſcriptũ legerat, *Carolum Quintum*, imperatorem prudentiſſimum iuxta, ac potentiſſimum, nihil non egiſſe, quò à *Pontificijs* obtineret, vt in aliquibus ſaltem *Reformationis* capitibus, *noſtris* concedere nonnihil velint; neque tamen eo magis eum æqui quicquam ab ipſis impetrare vnquampotuiſſe.

Ad hæc ſubiecit ille. *Cuinſlibet diei duodecem eſſe horas, et rei ſucceſſum vélle ſe Deo relinquere.*

Cum ab eo inſuper quæreretur; ecqua illi maior ſpes eſſet, de huius *nunc-Pontificis* animo, ad pacem ac vnionem propenſo, quam de alijs aliquot eiusanteceſſoribus, et ex eis vno præſertim, qui ſub *Concilio Tridentino* vixit, qui tamen omnes factioni præualenti cedere coacti ſunt:

Sperare ſe reſpondit, nonnihil *ab vtrâq; parte* de rigore nimio remitti poſſe; poſſe etiam *Pontificem* adduci, vt in aliquibus cederet: *In Fide fundamentali*, vtramq; partium concordare; mutuamq; inter partes tolerantiam admitti vtcumq; poſſe: *Eccleſiam* enim *Romanam*, pro verâ eccleſiâ, etiam a noſtris agnoſci.

At illi contra pertendebant, fieri non poſſe, quin ex hac *duarum Religionum toleratione*, et Eccleſia diſſidijs ſubindelaceraretur, et reſpublica etiam tota ſubuerteretur. Quod autem ad *Romanam eccleſiam* attinet, *Eam* quidem dicebant *eccleſiam*, ſed tamen *morbidam* eſſe.

Cur *ergo vos*, inquit, *matrem deſeruiſtis ægrotantem?* Reſpondent; *Nos non Eccleſiam priſcam Matrem, ſed papatum, Corruptiones, et ſuperſtitiones, de nouo in Eccleſiam introductas, deſeruiſſe.*

At

At *vos*, inquit, *Schisma fecistis, vos altare novum erexistis, contra altare vetus.*

Illi contra; *altare nostrum* vetus esse, et *Ecclesiæ primitiuæ Altari* consentaneum: Innouationes quotquot sunt, ab ipsis profectas; et quidem quod ad nos attinet, paratos esse, de his, quæ iam apud nos *in Altari* peraguntur, *per antiquorum patrum scripta, perq; Concilia prima Generalia, necnon per antiquiores ecclesiæ liturgias iudicari:* quibus omnibus constanter adhærescimus.

Hîc vero obiecit, *Regiam Maiestatem*, vti scripta eius testarentur, *Pontificem Romanum, pro Patriarcha accidentis libenter agnoscere.*

Cui responsum; *Maiestatem* quidem eius, in monitoriâ suâ præfatione, tale aliquid scripsisse; sed vt locum consulenti patere possit, inibi locutum, *de Prioritate ordinis, non autem potestatis, aut Iurisdictionis.* Sed quoniam, inquiunt, fieri non potest, quin varij futuri sint hominum de discessu tuo sermones et coniecturæ, dic iam aperte, an a *Rege Serenissimo*, (qui constantiæ suæ in professione ac defensione religionis in *Ecclesiâ Anglicanâ* stabilitæ, vniverso orbi tot iam documenta dedit) quicquam vel dicto, vel scripto, acceperis vnquam, vnde facta tibi spes fuerit, non quidem *tolerationis*, sed vel *reconciliationis alicuius inter vtramq; Religionem, nostram ac Pontificiam*, attentandæ: Aut an tibi facultatem dederit aliquando idem *Rex serenissimus*, eâ de causâ tractandi cum *Pontifice*, aut illius opem consiliumve expetendi: Aut an ipsemet eâ de re, quicquam *Maiestati Regiæ* quovis modo vnquam significaveris.

Respondit, sancte deierans, hac de re, aut aliquâ

ſimili, *nunquam aut ſibi Regem, aut ſe Regi, verbum vel vnicum, aut dixiſſe, aut ſcripſiſſe.* Sed *ne* vnam quidem ſyllabam, *Regi* vnquam, ſe audiente, excidiſſe, quæ vel minimam ſibi cauſam, tale quicquam ſperandi, daret.

At dic Sodes, aiebant, quomodo hic vnà nobiſcum in *ſacrâ Synaxi* communicare poſſis, et eodem tamen temporis articulo, intus apud te conſilia agitare, de reditu *ad Eccleſiæ Romanæ Communionem*:

Ego quidem, inquit, plane ſentio, *vnius & eiuſdem Eccleſiæ Catholicæ, tam veſtram, quam Romanam Eccleſiam, ſub vno capite Chriſto, membra eſſe: in fide fundamentali vtramq; concordare.* Et quod ad me attinet, Ego quidem, inquit, *aurum & argentum fundamenti retinebo; fænum vero ac ſtipulam, ab vtrâq; parte fundamento ſuper-ædificata, reijciam.*

Quod vero fænum *nos*, inquiunt, quam ſtipulam, ſuper fundamentum ſuper-ædificauimus? Nam id feciſſe *Romanam Eccleſiam*, ſatis notum eſt omnibus. Reſpondit, ſuâ quidem opinione, in *vtrâq; Religione quædam eſſe laudabilia, quædam tolerabilia, quædam vero intolerabilia.*

Quæ vero, reponunt, ſunt illa intolerabilia, quæ in Eccleſiâ noſtrâ obſeruaſſe tibi videris?

Hic ille inſtare, partim in *articulo de libero hominis arbitrio*; quaſi nos ſcilicet abſolute arbitrij libertatem homini, in primâ conuerſione negaremus: partim in puritanicis quibuſdam ac ſchiſmaticis κενοδοξίαις, quas quidam inter nos infruniti nouatores fouere ſolent.

Reſponſum eſt, ad primum; *illum* plane non videri, quæ ſit *noſtræ Eccleſiæ*, de illo articulo ſententia,

intel-

intellexisse. Tandem eo adductus est, vt concederet, doctrinam, quam de *libero Arbitrio* tradant *Articuli Ecclesiæ Anglicanæ*, tolerari posse; *Seq; tum articulos illos omnes, tum etiam librum Liturgiæ Anglicanæ, approbare & complecti professus est.*

Ad secundum vero, *de Puritanis*, dictum est, illos a magistratu publicè coerceri, & in ordinem cogi. *At vero*, inquit, *ex Episcopis ipsis, nonnulli, nimis rigidi sunt Calvinistæ.*

Quoniam vero tempus, *illos*, per singulos *Papatus* Errores ire non patiebatur; quærere visum est, quid ille de *transubstātiatione* sentiret; & an non satis esset illud vnum dogma portentosum, quò minus indifferenter & promiscue *cum vtrâq; Ecclesiâ* comunicaret.

Respondit, *illo non obstante, posse se satis tuto, cum vtrâq; comunicare.*

Vrgebat hîc Episcopus *Dunelmensis*, de eo, quod ipso audiente, Regi aliquando dixerat, *se transubstantiationem nunquam aut credidisse, aut crediturum.*

Respondit; se quidem ita tum dixisse, ac ne nunc quidem aliter sentire; *Verum Transubstantiationem in Philosophiâ errorem esse, non item in Theologiâ.*

Pergunt porro quærere; vnde factum, vt qui hîc in *Angliâ* tantopere sibi metuere visus est, & cum nuper huc aduentasset *Legatus Gallicus Monsieur Cadenet*, a Rege petierit, vt sese intra ædes abdere per eum sibi liceret, donec *ille* hinc abiret; idem nunc inter *Iesuitas* viuere sese posse sine periculo confidat; præsertim cum *Ecclesiam Romanam*, per libros a se æditos, tam immaniter læsisset, tamq; magnifice *ecclesiam Anglicanam* extulisset; nisi si forte *Palinodiam* cogitaret,

a quâ tamen cum abeſſe quam longiſſimè, ſperare ſe dicebant.

Hic, non ſine grauiſſimâ obteſtatione, denudato etiam capite, reſpondit, *Coram Deo, & Chriſto Ieſu Redemptore noſtro, ſe ſemper ex animo agnoſciturum & palam profeſſurum, Eccleſiam Anglicanam, eſſe veram & orthodoxam Chriſti Eccleſiam; & ſi aliter vnquam dixerit aut ſenſerit, permiſſurum vt omnes ſe ſummum Nebulonem eſſe prædicent, libereq; cum Pontifice acturum, etiamſi hoc fiat cum diſcrimine vitæ ſuæ, ſucceſſum vero Deo comiſſurum.*

Quæſitum etiam; quis illi ſenſus, in illis verbis, quæ occurrunt in fine literarum, quas ad Regem dedit, *Cum negotio extrema manus impoſita fuerit.*

Reſpondit; nihil aliud ſe ſenſiſſe, quàm, *cum Breue Pontificium*, quod ex promiſſione ſibi factâ exſpectat, ad ſe tranſmiſſum fuerit.

Quæſitum inſuper; an literæ, quas ad *Regem* miſerat, (cum tanti momenti negotium continerent) propriâ manu exaratæ eſſent.

Reſpondit; ipſas quidem literas, ab amanuenſi ſuo ſcriptas; ſubſcriptionem vero, a propriâ manu eſſe.

Cum autem adhuc cupere ſe dicerent, vt ſi videretur, explicaret, quid ſibi vellet per hæc Epiſtolæ ſuæ verba, *Nihil imminutâ erga me Regis Gratiâ.*

Reſpondit; hoc vnum ſibi in votis eſſe, vt beneuolentiam erga ſe *Regis*, bonamq; de ſe exiſtimationem, omnino conſeruaret. Quod autem ad *beneficia* attineret, et *dignitates eccleſiaſticas*, quas in ſe *Regia munificentia* contulerat, ſtatutum apud ſe habere, eas omnes, antequam hinc abiret, in *manus Regias reſignare.*

Denique

Denique rogarunt, vt quò pleniùs per omnia *Maiestati Regiæ* satisfieret, ne ægere ferret, breuiter propriâ manu conscribere, quæ ad pleniorem suæ mentis explicationem ad præmissa proposita responderat:

Respondit, libenter id se facturum, et reipsâ fecit.

Atq; hæc, quantum meminisse potuimus, summa fuit eorum, quæ a nobis vtrinq; dicta sunt.

Georgius Londinensis. Richardus Dunelmensis.
Iohn Young.

Narratio *ipsius* Archi-episcopi Spalatensis *de hoc suo cum Episcopis* Londinensi, *ac* Dunelmensi, *necnon et* decano Wintoniensi, *colloquio*, 21°. *Ianuarij*, Regi *destinata*.



Ie vicesimo primo Ianuarij 1621°, *Illustrissimi* et *Reuerendissimi Domini Episcopi, Londinensis*, et *Dunelmensis*, et cum ipsis, *perillustris et admodum Reuerendus Dominus decanus Wintoniensis*, venerunt ad me *Archi-episcopum Spalatensem*, & nomine serenissimæ *Regiæ Maiestatis* verum sensum & intelligentiam mearum ad suàm Maiestatem nuper scriptarum literarum quæsiverunt. Quæsitis aliquot propositis, ad ea responsiones a me datæ fuerunt sequentes, viz.

1°. *Varij* nuncij fuerunt, amici & cognati mei, per suas ex *Italiâ* literas ad me scriptas: Quas quidem directè nomine Summi *Pontificis*, non scribebant, sed referebant se scire id gratum fore *Pontifici*, et proprio ipsorum nomine me hortabantur; ac, si ego assentirem,

illi

illi se negotium *Romæ* peragendum curaturos significabant. Ego vero aliquoties apertè renui, ac inhibui, ne de meo reditu mecum agerent. Ac, ne contra meipsum suspiciones ingererem, suæ *Maiestati* rem non aperiebam. Cum enim nihil talibus literis mouerer, non censui necessariam esse manifestationem, vbi nihil de *Regio interesse* ageretur: monitus preſertim Ascanij exemplo, qui confingebat literas *Cardinalis Burghesij*, vt tali dolo aliquid a suâ *Maiestate* extorqueret. Vt igitur me a suspicione quoq; talis doli liberarē, satius esse duxi silere, et literas amicorum, ne mihi possent periculum generare, flammis dabam deuorandas. Ea tamen semper animi mei fuit dispositio, vt nihil inconsultâ & insciâ sua *Maiestate*, aut serio tractarem, aut exequerer; ac si alia mens mihi fuisset, discessum meum tacitus accelerassem.

2°. Nuper similiter per amicorum et cognatorum literas inuitatus fui, cum significatione eorundem, sibi constare, Pontifici gratum fuisse meum zelum & defensionem *Ecclesiæ Romanæ*, in fide fundamentali a me susceptam; *et illum meo consilio vsurum in rebus religionis ita moderandis, vt vnio vniversalis sequi possit.* Addiderunt breue Apostolicum ad me transmittendum fore, pro libero accessu, absq; vllo meo dedecore. Et quia literis hisce nihil credo, eas combussi, expectans *Breue*, vt possim aliquid reale suæ Maiestati exhibere, ne videar dolos fabricare; Interim volui rem in genere suæ *Maiestati* significare.

3°. Pacem & tranquillitatem internam huius regni, esse cordi *Pontifici* dixi, ex eorum relatione; cui mea consilia posse inseruire intelligo, si diffidia religionis componerentur: Ex quibus diffidijs, solet etiam

Reipublicæ tranquillitas turbari. Hanc ego ex meâ antiquâ piâ intentione ſpem in me concitaui, (nullo vnquam ſuper his habito cum ſua Maieſtate ſermone, nec verbo vnquam minimo in hoc genere a ſua Maieſtate audito,) poſſe contingere, *ſi diuina gratia illuxerit, vt ſummus Pontifex remittat multa, de ſuo rigore, vnde poſſit vnio, et concordia Religionis conſequi, et ſchiſma tolli.* De hoc meo voto ſepe cum multis ſum loquutus; ſed ex me duntaxat; Regiâ Maieſtate ne nominatâ quidem.

4°. *Vltimam ego manum huic negotio imponendam* intelligo, ſi *breue* illud venerit, et mihi ſufficienter cauerit.

5°. Non fore *imminuendam ſuæ Maieſtatis erga me gratiam*, ſi ſuâ cum bonâ veniâ diſcederem; *dum ſpero*; intelligo de bonâ voluntatis Regiæ erga me propenſione: Nam ſi ſum abiturus, in manus *ſuæ Maieſtatis*, reditus eccleſiaſticos, mihi ipſius clementiâ & benignitate attributos, ſimul cum titulis liberè reſignabo: neq; enim me inopiâ laboraturum timeo.

His ego verum mearum literarum
ſenſum ſatis expoſui.

Fuit inter nos varia amicabilis tractatio, ſuper *diſſidijs Religionis, ſuper ſchiſmate, ſuper Primatu, et obedientia Papæ, ſuper reformatione, ſuper vnitate fidei, & eccleſiæ* &c. Quid ego in his, & ſimilibus ſentiam, paucis attigi; et vbi opus ſit, plene explicabo, & profitebor.

Marcus Antonius Archi-
epiſcopus Spalatenſis.

D Huic

Huic ſcripto nomen primò non appoſuerat: ſed ſine ſubſcriptione ad me tranſmiſit, vnà cum Epiſtolâ quæ ſequitur.



Llustrissime, & Reuerendissime, Domine Colendissime. Mitto has inclusas responsiones meas, quas petijsti. Percurras eas statim quaeso, et si quid mea memoria mihi, quod necessario meam requirat responsionem, non suggesserit; Suggerat Dominatio vestra Illustrissima, vt defectum suppleam. Ex domo Sauoyensi die 21°. Ianuarij 1621°.

Veſtræ Illuſtriſſimæ Dominationi in
omnibus obſequentiſſimus

M. Antonius de Dominis
Archi-Epiſcopus Spalatenſis.

Hæc narratio, *Domini Spalatensis* manu quidem propriâ ſcriptâ erat. Quia tamen nomen ſuum non appoſuerat, die inſequenti per *Decanum Wintoniensem* ad eundem denuò miſſa eſt, propriâ ipſius manu conſignanda. Quâ occaſione natum eſt aliud colloquium, inter ipſum *Decanum*, & *Dominum Spalatensem*; Cuius hoc eſt exemplum.

Decani

Decani Wintonienſis *narratio colloquij, quod cum Archi-Epiſcopo Spalatenſi habuit, die 22°. Ianuarij, 1621°.*



Via *Dominus Spalatenſis*, oblitus erat, vt videtur, reſponſa ſua, propriâ manu ac nomine ſubſcripto ſubſignare; rogatus ſum a Dominis Epiſcopis, *Londinenſi*, ac *Dunelmenſi*, ipſum vt adirem, eorumq; nomine eidem gratias agerem, quod tam ingenuè egiſſet, tamq; ſimpliciter ac liberè, in perſcribendis propriâ manu reſponſis ſuis quod *illi*, *Maieſtati Regiæ*, haud dubiò, multò gratius & acceptius fore dicebant quam ſi aliorum verbis idem referretur: Atq; hoc adeo, vt ſi quoquo modo poſſem, dextrè ſimul elicerem eius, ad reſponſa ſua, propriæ manus ſubſcriptionem. *Illum* itaq; adij: qui in eo ſibi non mediocriter placebat, quod nobis vtcunq; ſatisfeciſſet. Atq; id eò magis, quod animum ſuum atq; propoſitum *Regiæ Maieſtati*, noſtrâ operâ patefactum iri ſperabat. Et quoniam *illum* haud illibenter prolixiori colloquio vacare velle comperiebam, non ſum veritus, ſumptâ a colloquio pridiano occaſione, alia inſuper nonnulla ab eo quærere. Quæſiui itaq; quomodo animum poſſet inducere, vt crederet, *duarum Religionum tolerationem* cum internâ pace, huius, aut vllius omnino Regni, conſiſtere poſſe.

Reſpondit; pridie quidem ſibi huiuſmodi aliquid excidiſſe, Hoc reuera ſeriò ſe & cupere, & ſperare etiam aiebat, vt per mutuam vtriuſq; partis

Condescensione. συγκατάβασιν *vtraq; religio* in vnam coabesceret. Se siquidem in fide fundamentali vtramq; vnam esse eandemq; plane existimare.

Reposui, Nos reuera fundamentum retinuisse, *Christi* scilicet *& Apostolorum Doctrinam*; a quo fundamento neq; velle nos abduci, neq; posse. Recte sane facturum, si conatus suos omnes eò dirigeret, quò persuaderet *Pontifici* ne impediat, quominus fœnum & stipula fundamento super-ædificata, penitus amoveantur, atq; comburantur: Non tamen igne phantastico, qualis ille Purgatorij ignis fatuus, quem ipsi
1 Cor. 3. audacter nimis super illum ipsum Apostoli locum superædificarunt, in quo expressè monet ille, de fundamento, quod est *Iesus Christus*, retinendo, deq; cautione in superædificatione adhibendâ.

Respondit; Reuerâ *Purgatorium* stultum esse commentum; atq; insuper ingenuè fassus est, *Ecclesiam Romanam* multa de suo addidisse, quæ amoueri multò satius esset, quam retineri. Cæterùm sperare se pro pace ac concordiâ Christiani orbis obtinendâ, de rigore suo nonnihil remissuros ipsos *Pontificios*. Simul addidit, non debere nos nimis esse rigidos in illis damnandis, quæ bonum aut saltem tolerabilem sensum atq; interpretationem possint admittere.

Hîc Ego; detur, inquam, posse inter eos reperiri, prudentem fortasse, et animi moderatioris virum, vnum aut alterum, qui tecum sentiat; vnde verò tibi spes *præualenti factioni* persuaderi posse, ac presertim *Iesuitis*, (qui nunc vbiq; dominantur,) vt agnoscant *Pontificem* suum, aut *Ecclesiam* alicubi errasse?

Respondit; Si eo animo esset ipse *Pontifex*, vt pro publicâ pace vellet nonnihil in aliquibus cedere, futurum

rum omnino, vt tum *Iesuitæ*, tum etiam alij omnes, in illius sententiam concederent.

Dixi; Optandum illud potius, quam sperandum esse; vt nunc sunt tempora & mores.

Simul interrogaui; quid sibi vellet distinctio illa, quâ pridie apud *Nos* vsus est, cum diceret; *Transubstantiationem errorem esse in Philosophiâ, non item in Theologiâ.* Libenter me dixi velle intelligere, quis esset eius hac de re animi sensus.

Respondit; Posse Nos per Theologiæ principia defendere, idem corpus per omnipotentiam Dei posse simul esse in pluribus locis; quod tamen dogma, plane repugnat Philosophiæ. Et quamuis *Act.3.21*, habeatur, quod oporteat Cœlum Christi corpus continere vsq; ad tempus restaurationis omnium; posse tamen etiam Christum hîc in terrâ, per miraculum, pluribus in locis simul esse.

Reposui; Reuerâ miraculum editurum, qui me doceret, quomodo *hæ duæ assertiones* possent simul consistere.

Atq; hîc finem fecimus, quoad res vtrinq; controuersas, colloquendi: Neq; enim illi molestus esse cupiebam; sed eò potius vnde veneram, reditum accelerare.

Tantùm interrogaui; vnde factum, vt hîc *Londini*, suum illud reuertendi propositum innotuerit, & vnde illius famam emanasse putaret.

Respondit; innotuisse quidem hoc suum propositum, certissimum esse. E familiaribus enim suis, multos; tam *Italos*, quàm *Anglos*, se adijsse; ac super eo percontatos; E quibus vnum nominauit Pharmacopolam suum; qui ipsum de pecuniolâ, quam ei debebat,

 nuperi-

nuperimè appellasset; solutionem vrgens, priusquam hinc se in viam daret. Putare se, famam hanc sui reditus per Legatum *Venetum* sparsam fuisse; quin & *Hispano* etiam haud ignotam esse.

Interrogaui, nunquid amici eius in *Italiâ* de reditu ipsius resciverint; Et si resciverint, quid eâ de re sentirent.

Respondit; se iam per tres menses proximè elapsos nihil quicquam ab illis literarum accepisse; minimè tamen dubitare se, quin rem totam compertam haberent. Paratam iam sibi *Prælaturam* esse; cuius annui reditus, non minoris, quàm duodecem millibus coronatorum, hoc est, nostrarum librarum tribus millibus, æstimarentur. Nihilôminus tamen existimare sese, illos haud temerè reditum sibi suasuros.

Hîc Ego, Patere me, inquam, Domine mi, pro amore in te meo, proq; eâ, quâ te colo obseruantiâ, persuadere tibi, seriò etiam atq; etiam tecum rem putare, priusquam solum vertas. *Nam ex inferno*, (quo nomine *Romam Petrarcha*, in quadam Epistolâ, ni male memini, indigitat) *nulla Redemptio.*

Respondit in hæc ipsissima verba: *Statutum est Deum sequi, et quamprimùm Apostolicum Breue recepero, me in iter conÿcere.*

At quando, inquam, exspectas illud *Breue?*

Post Septimanam, inquit, vnam aut alteram.

Cùm hîc ei pararem valedicere, rogauit ne grauarer, *Maiestati Regiæ* humillimum obsequium suum deferre. Cuius manus osculandi sibi honorem datum iri, priusquam hinc abiret, & vovere se, & sperare aiebat: Eâq; de câusâ, se quantumcunq; dissita hinc loca libenter aditurum, vbi *Maiestatem Regiam* reperire

possit,

possit, *etiamsi*, inquit, *esset in Extrema Scotia.*

Et cum iam in manibus haberem scriptum, in quo responsa ejus continebantur, intuli sermonem *tanquam obiter* de subscriptione, quam ei, si videretur, subijceret.

Respondit, a propriâ manu, totam illam scripturam fuisse.

Illud quidem verum est, inquam, ac proinde subscriptione tuâ reuera opus non est; nisi si placet *pro formâ* subijcere. fecit libenter. Atq; Sic tandem ei valedixi, Deum comprecatus, vt eum dirigeret per illam viam, quæ & ipsi optima, & Ecclesiæ paci commodissima foret.

Atq; hæc est eorum summa, quæ illo tempore vltro citroq; disseruimus.

Iohn Young.

Hæc ego tria scripta, de quibus egi, simul nactus, *Regi* sub finem hebdomadæ, pro ratione officij præsto fui *apud Newmarket*. Vbi mihi permisit eius *Maiestas*, vt ea sibi perlegerem; qui nonnihil commotus & offensus est, quod *Archi-episcopum Spalatensem* adeo contra exspectationem suam, & eam quam ide eo conceperat opinionem, ita videret animatum. Et tunc quidem me dimisit, quâ ratione sibi esset agendũ cum *Archi-episcopo*, opportuno secum tempore deliberaturus. Sed quod ille in nupero cum *Decano Wintoniensi* colloquio, consilium suum de conueniendâ suâ *Maiestate* patefecerat, Iussit me *Rex serenissimus* confestim ad *Decanum Wintoniensem* scribere, vt arreptâ hominem inuisendi occasione, *ipsum* a propositâ profectione dehortaretur; neq; enim si veniret, cum

Regiam

Regiam Maiestatem conspectu suo dignaturam: quod *Decanus Wintoniensis* literis à me receptis, statim præstitit; & illius sui cum eo colloquij exitum, datis ad me literis vltimo Ianuarij, narrauit: Quarum hoc est exemplar.

Decani Wintoniensis literæ ad Episcopum Dunelmensem, 31°. Ianuarij scriptæ, Anno 1621°.



Euerendissime in Christo pater, Domine colendissime; Literæ quas Reuerentia tua tricesimo mensis huius horâ sextâ vespertinâ dederat, hodie circa secundam pomeridianã ad me perlatæ sunt. Eas simulac perlegi, ad *Archi-episcopum Spalatensem* me contuli; nullo modo præ me ferens, mandatum mihi quicquam esse ab *Aulâ*, sed tanquam officij causâ ipsum inviserem: Id adeo magis, quod in *Aulam* propediem rediturus essem. Magnas ille mihi gratias agere, et vbi *Rex* esset, quamdiu ibi substiturus, Súscitari: Cui cum ego respondissem, eum esse apud *Newmarket*; ibiq; *Maiestatem* eius ad minimum (vt ego quidem putabam) proximum mensem totum hæsuram; rogauit, quot dierũ ille locus abesset itinere, an viæ faciles et expeditæ, et id genus alia; quæ percommodè mihi præbuerunt occasionem dicendi, satis percipere me, eum potius, si semel diploma Pontificis accepisset, de adeundo *Rege*, ad ei valedicendũ, quàm de præstolando eius reditu, cogitare.

Respondit ille, anni tempestatẽ iam valde mitescere,

iam

iam longos esse soles; in *Italia* autem, veris initium, semper à medio putari *Februario*. Atqui,inquam ego, Cum iam de tuo discessu famâ pervulgatum sit,(vti reuerâ, *Domine*, iam in ore omnium est,) et in diuersis hominum de illo iudicijs pleriq; sic existiment, ideo te discedere, vt nescio quæ cum Papa transigas; auctor ego tibi sum, si me audis,vt ab instituta ad *Regem* profectione prorsus desistas; ne eâ occasione confirmatis maleferiatorum quorundam, et maleuolorum sermonibus, *Serenissimi Regis* offensam meritò incurras. Statim ille,quò hæc tenderent,intellexit;fidemq; mihi fecit, se nullo modo commissurum, vt *Regem* quoquã adeat;nisi prius de voluntate ipsius certo sibi constaret. Addidit etiam, rumorem illum de suo discessu dubio procul ab *Oratore Veneto*,et eius familiaribus,emanasse. Quæsiui an ad illum subinde itaret, an etiam ipsi aliquid esset ab eo nuntiatum : Siquidem,vt videbatur,de discessu omnino constituisset. Respondit nihil vnquam sibi cum *Veneto*, aut alio quoquam negotij fuisse; Sed sibi in animo esse ante abitum, cum omnibus legatis (*Hispano*, *Gallico*, *Venetoq*; nominatis) agere, quo sibi tutior esset, eorum operâ, per dominorum ipsorũ regna transitus. Rogaui porrò, an ab vltimo nostro congressu, noui aliquid consilij ipsi venisset ab *Italia*; quod *ille* negauit; sed se quotidiè literas illinc expectare. Hìc ego cum eum satis à negotijs vacare animaduertissem, cœpi sermonem paulo liberius extendere, dicens, Ex quo postremùm illum, videram, legisse me breuem ipsius tractatum,cui titulus,*Scopuli Christiani naufragij* : et in eo *ipsum* mihi videri adeo præfractè, adeo disertis et asperis in *Papam* et *Ecclesiæ Romanæ* doctrinam, verbis invehi, vt ex ipsis *Protestantibus*

nemo ſupra. Non *illum* eſſe veritum *Papam, tyrannicum vſurpatorem* nominare, et *Antichriſti* nomine traducere; De *illâ* autem *Eccleſiâ* ipſum aſſerere, eam veritatem, multis erroribus infeciſſe, vt exempli causâ, quod eos, ob invocationem Sanctorum, et imaginum cultum, vocaret *Meros Idololatras*. Ad hæc ille; ſe certò credere, quod ad praxim attineret, vulgus ex eis, et imperitam plebeculam, eſſe *formaliſſimè Idololatras* (quemadmodum et in alio, quod antea habuimus, colloquio, memini eos ab ipſo appellatos) *ipſam vero doctrinam & dogmata eorum, meliorem interpretationem admittere*. Se quidem, quamdiu inter illos egit, nunquam aliter docuiſſe populum: et de *multis alijs* idem eſſe ſibi compertum. Cum autem obijcerem *Papiſtas* omnes non minus, ne dicam plus, *Beatæ Virgini*, quam ipſi *Chriſto* tribuere; faſſus eſt, hac in re, preſbyteros, pariter et populum, magnàm partèm reprehenſione dignos eſſe. De *Pontificis* autem *vſurpatione*, dixit, *tantam eius potentiam, maximam eſſe Petram ſcandali*; et optare ſe, vt ea minor eſſet. Amplius etiam quæſiui, quali medicamento, poſt reditum, plagam illam curare poſſet, quâm Romanæ Eccleſiæ, ſuo primum transfugio, deinde etiam ſcriptis aduerſarijs, inflixerat; paucis reſpondit, *Non dicta*. Atqui, inquam, *Domine mi, litera ſcripta manet*. Replicauit *ille*; tractatum illum ſuum, ad multorum manus, vix potuiſſe, quòd eſſent omnes ſui libri adeo ſeuerè prohibiti, peruenire. Repoſui; fieri non poſſe, quin ille tractatus, quod mole paruus eſſet, et ſine dubio in diuerſas linguas tranſlatus, multis innotuerit. Agnouit eum eſſe in diuerſas linguas tranſlatum, et reuerà fieri poſſe, vt multis eſſet lectus; verum quicquid illo continetur,

non

non id se, tanquam a seipso, sed *totius veræ ecclesiæ nomine scripsisse*. Respondi, multo magis inuidiosum esse *Romanæ Ecclesiæ* & *Papæ*, tot pernitiosorum errorum a verâ Ecclesiâ postulari, quam si priuatus aliquis hoc idem illi obijceret: Illud igitur Emplastrum, obducendo vulneri non sufficere. Quia autem nolebam tam streperâ chordâ diutius oberrare, eò sermonem diuerti, vt dicerem, omnes sine dubio cordatos grauesq; Christianos, vnitatem & pacem ecclesiæ, summis animi votis optare; modo qui sunt a partibus *Ecclesiæ Romanæ* eo perduci possent, vt suos errores & agnoscere vellent, & abdicare: vt ita pax posset, saluâ & incolumi veritate, constare. Porro talem ac tam fælicem pacem nemini mortalium cordi magis, acceptumúe esse posse, quam *Clementissimo nostro Regi*, pacis optimo ac fælicissimo procuratori. Respondit, vt pax sit, etiam de nostro rigore aliquid esse remittendum.

Replicaui, serenissimum nostrum *Regem*, per totam vitam suam, in expugnandâ eorum væcordia sedulò laborasse, qui *dum vitant vitiâ, in contraria currunt*: quales illi sunt, qui omnia sine discrimine damnant in *Ecclesia Romanâ*. Dixi præterea, in eâ, quæ ipsi cum *Domino Londinensi, tua Reuerentia, & meipso*, disceptatione intercesserat, eum agnouisse, *reformationem Ecclesiæ Anglicanæ fuisse prudentem ac moderatam*. Deniq; (vt is, cuius opera qualiscunq; ad id negotium fuerat á Regiâ Maiestate adhibita) narraui ipsi, quamdiu iam, quantis cum sumptibus, et studio, *serenissimi Regis* industria in restauranda *Episcopali gubernatione*, præclaris institutis reuocandis, & pristinâ Ecclesiæ facie restituendâ, in *Regno Scotiæ*, fuisset occupata. Subieci ad extremum, me *eum*, pro mea erga ipsum

ſum beneuolentiâ, monere, ſerió omnia ſecum expendat, prinſquàm *Nos* deſerat, & eis ſeſe dedat, quos veriſimillimum ſit inimicos eum ſibi conſciviſſe. Excipit ille; *Nauis onerata, cum leui vento impellitur:* non abiturum ſe; niſi firmis rationibus innixum. Ego vero illud Pœtæ ipſi regeſſi, *O nauis nauis, referent in mare te noui fluctus: O quid agis? fortior occupa portum*. Cumq; iam inibi eſſem, vt illi de more valedicerem, dixit ſe de modo Reſignandi *dignitates illas eccleſiaſticas*, quas hîc obtinuerat, cogitare: ſeq; humillimè *Regiæ Maieſtati* ſupplicaturum eſſe vt *nominare* ſucceſſorem in *Decanatu Windſorienſi* per eum ſibi liceret. Hoc ipſo die ſe cum viro quodam præſtanti collocutum, qui locum illum cupidè ambiret. Ego *illi* ſuaſi, vt exſolenni ac legitimâ reſignandi formulâ; quæ ſimplex erat & abſoluta, *ipſe* quoq; rem totam *Regis* arbitrio relinqueret, omniq; certi alicuius ſucceſſoris comendatione ſuperſederet. Atq; hæc ſunt *Colendiſſime Domine*, quantum memini, quæ tunc temporis inter Nos vltrò citròq; contulimus; ſimulq; deſino.

31. Ianuarij 1621.

Tuæ Reuerentiæ

ad omne obſequium

paratiſſimus.

IOH. YOVNG.

Hæc



ÆC cum *Regi Serenissimo* relata essent, huius & superioris relationis occasione, visum est *eius Maiestati*, subsequentia *quæsita* concipere; quæ ipsi ad respondendum proponerentur; quæ sunt ad modum præscriptum tradita, scriptoq; mandata in hanc formam.

QVÆSITA ALIQVOT Jussu Serenissimæ Maiestatis, Domino *Archi-episcopo Spalatensi, quo melius de ijsdem suæ Maiestati per ipsummet satisfiat proponenda.*



Vm in calce narrationis suæ, propriâ manu subscriptæ; vt literarum ad *Maiestatem suam* subscriptarum 16to. Ianuarij per Rmum. *Dominum* sensus planus, & intelligentia vera melius constaret; subnexuerit *Illustrissimus Dominus* in Colloquio ab *Episcopis Londinensi, & Dunelmensi & Decano Wintoniensi* die 21°. Ianuarij secum habito, *fuisse inter ipsos variam amicabilem tractationem, super dissidijs Religionis, super Schismate, super Primatu, & obedientia Papæ, super reformatione, super vnitate fidei, & Ecclesiæ; Quidq; Dominus ipse in hijs & similibus sentiat, paucis attigisse, & vbi opus sit, planè explicaturum, & professum,*

Cupit *sua Maiestas* (Mavolens proprio Rmi. *Domini* dictamine, qùam alieno relatu, quæ sit, de eis ca- I.

 pitibus

pitibus *R*mi. *Domini* ſententia edoceri) ad memoriam revocet quantoperè poteſt, quid tunc de ijſdem dixerit, quidq; etiamnum de ijſdem ſentiat, ſummatim & ſigillatim referat.

II. Rogat *ſua Maieſtas*, vt dicat *Reuerendiſſimus Dominus* verè & ingenuè, quâ fuerit opinione, *de Eccleſiâ Anglicanâ* antequam huc aduenerit.

III. Cum videatur *Reuerendiſſimo Domino* poſſe ſe ſaluâ conſcientiâ, tum cum *Eccleſiâ Anglicanâ*, tum cum *Romanâ* communicare. Poſſéq; inuicem *vtramq; Religionem*, cum ſuis exercitijs omnibus & officijs religioſis, vel in hoc *regno Angliæ* tolerari, niſi ſtatus politici gratiâ, magis quam iuſto conſcientiæ ſcrupulo, minime ferendum videretur.

Cupit *Sereniſſimus Rex*, dicat *Reuerendiſſimus Dominus*, num eâdem fuerit ſententiâ cum huc primùm a ſuis appulit. Sin fuerit: Quî factum, vt huc *Reuerendiſſimus Dominus* alio prætextu aduenerit a ſuis? Num tanquam Explorator? Num *Paulo Quinto* tunc Pontifice diſpenſante, aut conſcio, aut ſaltem conniuente? At ſi tunc *Reuerendiſſimo Domino* alia mens, aliaq; de *Eccleſia Anglicana* opinio; Rogat *Sereniſſimus Rex*; dicat ingenuè *Reuerendiſſimus Dominus* quæ *Domino* ratio ſit mutatæ iam mentis, & ſententiæ; Et quando ei hæc ſubrepſerit mutatio.

IIII. Rogatur *Reuerendiſſimus Dominus*, animi ſui ſenſum exprimat, vt ſentiat, hanc, quâ nunc eſt, *de facili inter vtramq; Eccleſiam Anglicanam, & Romanam procurandâ concordiâ de toleratione vtriuſq; in hoc regno; & de communione cum vtraq; in ſacris* opinionem, non admodum diſcrepare, ab hijs, quæ tradidit *Reuerendiſſimus Dominus* in *Manifeſto*, a ſe, ante-

antequam huc aduentauit *Heidelbergæ excuso*; ac deinde, hic apud nos typis remandato; Quinetiam non dissentire plurimum a multis ab ipso domino prolatis, & publicatis, tum in concionibus, tum in libris a se editis, de *statu Romanæ Ecclesiæ*; *de abusibus Curiæ Romanæ*, & *de arrogata ibidem illegitimâ in alios* Iurisdictione. Quin & *Serenissimo Regi* sciat gratum facturum *Reuerendissimum Dominum* si edixerit, quam *Pontifici* redditurus sit rationem de suscepto hic ter quaterúe Iuramento *Regiæ potestatis supremæ, tam in spiritualibus, quam temporalibus*; addita *asseueratione sacramentali, nullam infra hoc regnum, vel alibi, infra Ditiones Regias Papæ competere potestatem aut iurisdictionem, siue temporalem siue spiritualem.*

Dicat *Reuerendissimus Dominus*; quomodo constitit *Pontifici* susceptam a se defensionem *Ecclesiæ Romanæ* in fide fundamentali. V.

Rogatur *Reuerendissimus Dominus*, vt doceat, quænam ea sunt de quibus dixit, se velle, vt *summus Pontifex* multa remittat de suo rigore. VI.

Cum dicat *Reuerendissimus Dominus*, de hoc suo voto sæpe cum multis se esse loquutum: Erit *Serenissimo Regi* non ingratum si mentem explicuerit suam *Reuerendissimus Dominus* de particularibus ejusdem voti, & quibuscum de eo sermonem habuerit. VII.

Rogatur *Reuerendissimus Dominus* vt dicat Ecquid certi habeat, de eo, quod refert *Episcopus Dunelmensis*, in dicto colloquio, dixisse *Dominum* sibi persuasissimum esse, *Pontificem, Anglicanam Liturgiam, eiusq; vsum publicum, approbaturum.* VIII.

Cum habito in dicto colloquio sermone, de *praualente* hic apud nos, in *Angliâ Puritanismo*, dixerit IX.

Reuerendissimus Dominus etiam aliquot ex ipsis nostratibus Episcopis nimis rigidos esse Caluinistas.

Rogatur *Reuerendissimus Dominus*, vt dicat, quos nominatim sentiat Episcopos, & in quibus dogmatibus eos tales deprehenderit.

X. Cum dixerit *Reuerendissimus Dominus Decano Wintoniensi*, non debere nos nimis rigidos esse censores earum rerum, quæ, vel bonam vel tolerabilem ferre possint intelligentiam: Rogatur vt, quæ velit particularia, libere dicat *Reuerendissimus Dominus*.

XI. Deniq; ex eo quod *Serenissima sua Maiestas*, per quendam *T. B.* exterum, pridem edocta fuit, *Archiepiscopum Spalatensem* spopondisse, se *Maiestatem suam* redacturum in gratiam *Pontificis*, & *Ecclesiæ Romanæ*; eâq; de causâ vulgò ferri, eum breui profecturum *Romam*. Cumq; *sua Maiestas* binas nuper ex *Belgio* literas, rei haud dissimulis nuncias acceperit, de suscepto per *Archi-episcopum Spalatensem* hujusmodi negotio; cuius rumoris rationem, *sua Maiestas*, vltimo *Epiphaniæ* festo, quo Dominum postremo vidit *sua Maiestas* sciscitari instituerat; Nisi quod non tam tempore angustata *sua Maiestas*, quam de domini probitate, & pietate *Maiestatis suæ* nimia fiducia tantum apud se valuit, vt hujusmodi rumores meras fabulas duxerit: quin & fideret *ipsummet Reuerendissimum Dominum* si quis tale quicquam apud eum moliretur, primo relaturum, nec vspiam celaturum.

Dm. Gabalio: nem Ducis Sabaudiæ apud suam matem oratorem.

Iubet *Serenissimus Rex*, vt ingenuè, verèq; dicat *Dominus*, quid tale egerit, spoponderit, vel in se susceperit audendum; vnde his rumoribus data occasio; Ac si quid tale ausus, vnde ei venerit in mentem, tale quicquam, vel spondere, vel audere.

Ex-

ad pag. 32.

XII. Cum ex postremis D[omi]ni literis ad Suam Ma[iesta]tem datis videat ~~[illegible]~~ R. D. breve Apostolicum iam recepisse, vult sua Ma[ies]tas ut videndi illud Breve facultatem D[omi]nus sibi faciat, et alias ad se mittat quascunque dudum ab amicis repetitibus ex Italia literas accepit.

Clausula duarum literarum quarum XI. specificatarum, quae in latino sermone in lib. edito ~~latine~~ Londini p. 33

nella prima lettera.

Si diceua qua fra denti, che ~~A~~ l'Arcivescono di Spalato passerebbe à Roma: questa porta di Roma leva l'ambiguità, porta publicamente, che l'Ambasciatore di Spagna ha ottenuto il saluo condotto, il titolo è à negotiare la conversione del Re della gran Bretagna et reunione del Regno. Ho voluto assaggiare i suoi sopra questo, trovo che me sono informatissimi, lo dicono oro rotundo con questo appresso, che il Re lo manda. ~~Ho~~ Io ancora sto sospeso, temo di trama, veggio il pericolo, et mi recordo ch'il Re di Francia mandò un Abbate del Bosco à negotiare, et in quindeci giorni fu impiccato à Roma. o laccio, ò fuoco, ò veleno, sarà il

fine. Dio lo guardi. Certo è che lui scrive far questo d'~~ex~~ espresso consenso del Re. Se è vero, è grand mal; se è falso, gran sce=lleraggine.

nella seconda lettera.

Era anco stata fatta una Bolla all' Arc.no di Spalato, dechiarando che l'andata del detto archivescovo in Inghilterra fosse seguita d'or=dini della sancta sede per procurare à con=vertire quel Re, tenendo avviso, q.to che il detto Re mandi detto Arcivescovo Ambascia=tore à Roma, à disdirsi à nome del Re, et à prestare il giuramento d'obedienza.

Hae nihil Archiepiscopo oppesita fuerunt p eosdem Episcopos die IX Februari, sed prae=cesserunt mea 2ae literae ad Regiam M.tem dimissionem petentes, tenoris ut sequitur.

Istae 2ae literae sunt in lib. edito Londini p. 34.

EXCERPTA
E
Binis literis, quarum mentio fit in vndecimo Quæsito, de quo suprà.



Ertur hic obscuro quodam rumore Archi-Episcopum Spalatensem, Romam *esse iturum. Imo iam nuncius* Româ *adueniens, nullum dubitandi locum relinquit; apertè asserens, iam* liberum commeatum *illi esse ab* Hispanico legato *procuratum, quasi conatus eius spectarent* ad conuersionem magnæ Britanniæ Regis et illius Regni reconciliationem. *Non alienum putaui, amicos eius, super hoc negotio, penitiùs explorare: qui omnes rem, pro certâ et compertâ habebant; eamq; vulgò referebant; eumq; à Rege mitti addebant. Ego quid de eâ re statuam, non habeo; metuo dolos; pericula suspicor. Venit in mentem* Boscensis Abbas, à Rege Galliæ Romam *delegatus, et intra quindecem dies ibidem suspensus.* Vereor ne laqueus, ignis, aut venenum, hominem maneat: *quod omen deus auertat. Ipse quidem scribit, omnia se, de consensu* Regis, *agere; quod pari aut calamitate verum est, aut flagitio falsum.*

Excerpta secundæ Epistolæ.

EST *etiam* Bulla *quædam*, *in gratiam* Spalatensis Archi-Episcopi *edita*; *quæ testatur eius in* Angliam *profectionem*, *auctoritate* sedis Apostolicæ *susceptam fuisse*; ad procurandum Regis illius conuersionem. *Pretereà*, *eundem* Regem, *supradictum* Archi-Episcopum Roman *publicè missurum*, vt Regis nomine Palinodiam canat, et Iuramentum fidelitatis præstet.

INTERIM verò dum parant exequi, quodde proponendis *quæsitis* illis vndecem, *Regia Maiestas* antea præceperat, *Rex* serenissimus accepit ab *Archiepiscopo* literas datas 3°. *Februarij*, quarum hoc est exemplum.

Literæ Archi-Episcopi Spalatensis ad Regem, Datæ 3°. Februarij, 1621°.

Rex Serenissime, Domine Clementissime.



SVmmi Pontificis *benignam inuitationem (vt per alias literas* vestræ Maiestati *superioribus diebus significaui) neq; debui neq; potui contemnere, vbi* de Christi Domini, eiusq; Ecclesiæ seruitio *agi perspicerem*; *Nunc demum de plenâ expeditione factus certior, promissis stare teneor. Sed itineri me, cum bonâ* vestræ Maiestatis *veniâ, committere,*

mittere, etiam atq; etiam cupio; Ideoq; ipsam veniam humiliter nunc, per has literas, & enixè, peto; libentiùs eam coràm petiturus; & Maiestati vestræ *cum debitâ gratiarum actione, & submißione, valedicturus, nisi meus ad* vestram Maiestatem *accessus, esset vanos & stultos vulgi rumores confirmaturus. Dignetur itaq;* Maiestas vestra, *obsecro, meum discessum, aliquibus suis literulis communire, tutioremq; reddere, & cohonestare. Ego vero Resignationem* titulorum, & redditu-um ecclesiasticorum, *quæ a* vestrâ Maiestatæ *teneo, per Syngrapham sufficientem resignabo; Et me gratiæ* Regiæ *ex intimo corde commendo, ac in perpetuum pro fideli famulo deuoueo*: Londini ex Domo Savoiensi, Die 3°. Februarij, 1621°.

Serenißimæ Maiestati vestræ in omnibus semper obsequentißimus

Marcus Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatensis.

QVARVM literarum occasione, idem *Rex Serenißimus duodecimum Quæsitum*, prioribus annectendum concepit, in hunc modum.

Quæsitum Duodecimum.

XII. CVm ex postremis Domini literis, ad suam *Maiestatem* datis, constare videatur, *Romanum Dominum*, *breue Apostolicum* iam recepisse, vult *sua Maiestas* vt videndi illud *breue* facultatem *Dominus* sibi faciat: Et alias ad se mittat, quascunq; dudum ab amicis, nepotibusuè, ex *Italia* literas acceperit.

QVIBVS omnibus propriâ manu subscriptum dedit *Archi-episcopus* hoc responsũ, quod hic sequitur.

AD POSTREMA DVO-decem Serenissimi Domini Regis *quæsita* Ego Marcus Antonius Archi-episcopus Spalatensis *verè, sincerè, ingenuè, in fide Christiani hominis, & fidelis Christi ministri, respondeo vt sequitur, viz.*



1. AD primum. *De schismate* dixi, & sentio, *nullam subesse legitimam, & sufficientem Protestantibus causam, sub prætextu reformationis Ecclesiæ Romanæ, se ab ipsius ecclesiæ vnione, in fide fundamentali, & charitatiuâ communione, separandi, & ita schismate Ecclesiam scindendi*: Potiusq; tolerandos esse etiam errores, & abusus illius, si qui saluâ fide & salute animarum adsint, quam vt fiat scissio. *Solam vero Hæresim obfirmatam* (quam ego nullam

in *Ecclesia Romana* inveniebã) *posse iustam causam dare*, vt talis hæretica ecclesia, a corpore catholicæ ecclesiæ separetur: Nunquam vero altare contra altare esse erigendum, & eos omnes vero *schismatis* crimine laborare, qui sub quocũq; pretextu altare contra altare erigũt.

De *Primatu & obedientia papæ*, dixi, & sentio, *Primatum canonicum* ad minimum, & *obedientiam canonicam*, a nemine posse iustè *Pontifici Romano* denegari. Quem *Primatum sua Maiestas* expressè concedit ei, in suâ Monitoriâ Præfatione. *Primatum* vero illum *supremum iuris diuini*, posse interim disputationibus theologicis discutiendum relinqui, Et *Ecclesiæ Catholicæ* tandem sufficienter definiendum.

De *reformatione* dixi, et sentio, *nullam ecclesiasticã reformationem, debere cum schismate fieri*; & quia *prima reformatio*, facta per *Lutherum*, & *Caluinum*, facta est cum *schismate*, ideo eam in hac parte nullo modo esse laudandam, approbandam, retinendam. Sublato vero ante omnia *schismate*, & vnione consarcitâ, tum demum ritè, & legitimè, ac pacificè posse agi de *Reformatione*.

De *vnitate fidei*, dixi, idem quod scripsi in libro contra Suarium. Cap. 1. §. 4 & seq; *fundamentalem fidem esse vnam & eandem*; & *in hac fundamentali fide, neutram partem, posse alteram hæresis condemnare*.

Ad Secundum. *De ecclesia Anglicana*, Ego in genere, & in confuso, antequam huc accederem, bonam conceperam opinionem, propter *moderatam*, quam audiebam, *reformationem, in vnitate fidei fundamentalis*, modo hic ad 1. exposito. Sed an *in dogmatibus disputabilibus*, & controuersijs, bene an male sentiret, nihil statuere poteram, nisi prius habitâ cum II.

 doctis

doctis huius regni collatione. Si *Dominus Cantuariensis* proferat meas scriptiones *Venetijs* ad eum datas, in ijs meam sententiam explicatam quisq; inueniet; Scio me monuisse, in illis scriptionibus, *de dogmaticis me velle prius instrui, quam in eis meam stabiliam sententiam*; hoc est, me voluisse theologicè doceri, & conuinci. Et ita factum est, vt in quibusdam dogmaticis, plenè, *Huic Ecclesiæ*, tanquam à catholicâ non dissentienti, adhæserim : in aliquibus vero etiam, *ab hominibus* potiùs *Anglicanis*, & doctoribus multis, *quam ab ipsa Ecclesia Anglicana*, dissentiendum esse censuerim; vt de *libero arbitrio*, de *efficaciâ gratiæ*, de *prædestinatione*, de *iustificatione*, de *operum necessitate*, de *meritis, &c.* In hijs tamen, *ab Articulis Ecclesiæ Anglicanæ, me nunquam discessisse profiteor, quia illos omnes in bono sensu sumptos, veros esse arbitror, aut saltem probabiles, nullos verò hæreticos.*

III. Ad Tertium. In eâdem opinione semper Ego fui, & sum, *Ecclesiam Pontificiam & Anglicanam (seclusis Puritanis) vnam esse radicaliter ecclesiam, non duas*; ac consequenter, nisi *schisma* noceat, posse in vtrâq; salutem esse; post auditas præsertim opinionum *Anglicanæ Ecclesiæ* catholicas explicationes. Longum verò est peculiaria recensere; id ad generale colloquium spectaret : potest igitur quilibet meâ opinione, (quam arbitror me posse benè fundare) & a *Protestantibus ad Pontificios, & a Pontificijs ad moderatos Protestantes*, saluâ conscientiâ, si *schisma* absit, accedere : quia hic transitus non est ab vnâ Ecclesia, ad aliam, ab eâ diuersam, & essentialiter disiunctam; *Christi* enim *ecclesia* non est nisi vna; sed *ab vna particulari, ad aliam particularem*, quæ vtraq; sit verum

mem-

membrum *Ecclesiæ Catholicæ*. Prudenter verò sibi quisq; caueat ab erroribus, & abusibus, si qui sint, alterutrius partis, accidentalibus. Ego itaq; solo corpore recessi ex *Italicis Ecclesijs*; non quod vllis intolerabilibus conscientiæ scrupulis vrgerer, me in *illis Ecclesijs* non posse saluari; sed quia *protestantium doctrinam* volui penitus perspicere, causas dissentionum & schismatis indagare, si quid remedij posset esse, conijcere, & cognoscere: volui liberè scribere, & scripta edere; quod in *Italia* non licebat; volui eximiâ *Regis* sapientiâ frui: Quasi verò hæ, & similes, non sint sufficientissimæ causæ, ad mouendum viros, ad huc me multò grauiores, ad iter, quale Ego suscepi, suscipiendum. Suspicio *Exploratoris* me non tangit; nam neq; arces, neq; exercitus, neq; ærarium sunt exploranda. Conciliorum secretiorum ego Particeps non sum; Portus, qui sunt Arces huius Regni, nullos vnquam vidi; *In studijs immersus, in Musæo quasi sepultus, decem quotidiè horas in lectione, meditatione, scriptione consumens, penè marcesso.* O ineptum *exploratorem!* quàm viuidus, quàm corpore habilis, ad intima *regni* perlustranda! Et nihilominus me *exploratorem* fatebor, talem, qualis *Iosue*, qualis *Caleb*, Numer. 13. spiritualiter, non corporaliter, vt laudare possim *ecclesiam hanc, a Puritanismo abhorrentem, moderate reformatam*, & dignam, quæ in vnionem *Ecclesiæ catholicæ* accipiatur. Vt Botrum possem proferre, tot bonorum veræ pietatis operum, ex quo vinum lætitiæ, pro bona dispositione eorum, qui *rigores puritanicos* oderunt, & pacem cupiunt, exprimatur.

Paulus quintus, neq; dispensauit, neq; conscius fuit, neq; conniventiâ vllâ mecum vsus est, quando huc

me

me conferebam; ſed iraſcebatur acerrimè. Teſtis ſit *Colonia*, teſtes *hiſpanicæ Arces Rheno* adiacentes, quibus omnibus, diligens cura fuit *Româ* mandata, vt meum tranſitum præſtolarentur, & me interciperent, ac vincirent. Teſtes ſint *D. Dauid Morauiús*, & *D Robertus Barnes*, noti in aulâ, quibus tunc ego terroribus tremerem, ac penè exanimarer, coniectus in abditum naviculæ angulum, morbo oppreſſus, in miſero ſtramine penè moribundus dies noctesq; iacens, ne oculus me in locis ſuſpectis inſpiceret, & *Pontificijs* proderet. Egóne *Papæ* conſenſu veni, qui tam *ſerio opere*, per multos ante annos elaborato, contra *Papam*, & *nimium* inſolenter, inſurrexi? tantáne moles, tam exacta, tam plena auctoritatibus, & argumentis, ficte peracta eſt dicenda? Tempore ergo mei ex *Italia* diſceſſus, non mihi alia mens, nunc alia: eadem perpetuò, nulla ſubrepſit mutatio. Conſilia eadem mei huc aduentus perſeuerârunt; Nouæ duntaxat additæ mihi cognitiones, circa *diſſidia Religionis*; multa, cognoui, quæ priùs nequaquam noram, ad doctrinas controuerſas ſpectantia; *Schiſma non mihi planè innotuit, niſi ante paucos menſes, poſt plures diſputationes*; Cognoui pariter multa, a noſtris *Pontificijs*, abſurda tribui *proteſtantibus*; a quibus illi ſunt remotiſſimi: Sed & multa a *proteſtantibus* in *Eccleſiâ Romanâ* reprehendi perſpexi, quæ aut defendi facilè poſſint, aut excuſari; Et hæc ipſa, in particulari commemorare, eſſet pro hoc ſcripto nimis longum.

IIII. Ad Quartum. *Manifeſti mei* verba legãtur, quæ proponuntur, §. 5. & 12. & 14. & quæ profero in præfatione meorum librôrum de *Republica Eccleſiaſtica*. §. 4. & *6*. & 7. & 11. & 13. Quibus locis, mei huc

aduentus

 50

aduentus concilia, expono, vnionis desiderium demonstro; mei cum *Ecclesiâ Romanâ in fide essentiali, & charitate*, communionem profiteor; *Papam, meum immediatum Prælatum agnosco*, schismatis ablationem vrgeo, & passim *me*, in meis libris, *inter Pontificios* connumero. In septimo verò mei *operis de Republica* libro, si quando prodibit, ex professo de *Schismate* hoc comprimendo; de *coniungendis Ecclesijs*, de *toleratione mutuâ*, & de similibus, fusè tracto: Eo planè sensu vt omninò putem, *si summus Pontifex circa illam supremitatem*, (vt superius dixi) aliquid moderaretur, *Principibusq;* integrum regnandi jus relinqueret, posse *Protestantes* etiam abusus aliquos, vel in moribus, (quibus abusibus nec ipsi carent) vel in ritibus, vel in praxi, tolerare, & non imitari; vt sic tollatur *schisma*, & *vnio* sequatur in *fundamentali fide, & in charitate*, & sic vnicum apud omnes altare, non altare contra altare, postea de Dogmatibus controuersis, fiat bene regulata disceptatio.

De *Iuramento á me hic aliquoties suscepto*, cupit *serenissimus Dominus Rex* scire, quid sim *Pontifici* responsurus. Ego vero maluissem, vt *sua Maiestatas* rogaret ex me, quid sim *Deo* responsurus. Nam si possim *Deo* rationem reddere, possum & *Pontifici*. Mitto nunc me sperare a *Pontifice* generalem veniam omnium, quæ possint esse a me, in *illius sedis* iniuriam, vel dicta, vel facta; quâ generali veniâ, omnia & singula obliterentur, nec eorum amplius ratio reddenda quæratur. Si tamen quærat, vel *ipse*, vel *deus*, vel *mea conscientia*, arbitror me planè, hijs omnibus, in meo contrà *Suarium* libro, satisfecisse; Vbi *sua Maiestatis & & Anglicana Ecclesiâ* causam, contra insignis Theo-

logi *opus magnum & insigne*, ipse exterus, *quod Anglus nemo per multos iam annos potuit, aut sciuit, aut voluit*, egi fideliter, & efficaciter. Capite igitur, 6. §. 39. & 40. huic quæsito plenissimè, ex alijs etiam meis tractatibus, satisfacio. Scio enim *Serenissimum Dominum Regem, neq; postulare neq; pretendere vllam propriè dictam spiritualem, aut impropriè spiritualia, imò ne in ea quidem, quæ sunt purè, & merè solius iuris ecclesiastici, potestatem*. Sed per *spiritualem potestatem*, in eo *iuramento, suam Maiestatem* intelligere, illam, quæ, quoad *externum ecclesiasticum regimen, in suo genere sit suprema, relictis suo loco non supremis, per Ecclesiasticam Hierarchiam exercendis*. Quæ suprema, & quasi vltima potestas, mihi semper visa est fuisse, & esse, *in omni supremo Principe* Christiano, vt ibidem explicaui. Sic etiam scio, & ex ipsis *suæ Maiestatis operibus* colligo, eandem *Maiestatem* non negare *Papæ*, in hijs suis regnis, vllam veram & legitimam, videlicet canonicam, supremi inter omnes Patriarchas Patriarchæ, & generalis, vt explicaui libro 4. cap. 9. Superintendentis, potestatem, & Iurisdictionem; modo ne sit illa Regia suprema.

V. Ad quintum. Ego hanc defensionem publice in concionibus suscepi; inde facile potuit *Romam* vsq; evulgari; certe, per me, aut meâ operâ nihil sciuit. Sed & eandem doctrinam, in eodem contrà *Suarium* libro, satis apertè tradidi iampridem, & confirmaui, Cap. 1. §. 4. & seq.

VI. Ad sextum, vellem & cuperem, & si possem etiam suaderem, vt *summus Pontifex*, pro tollendo tam graui *schismate* tanquam infimus homus condescenderet, et circa suum *Papatum*, remitteret, quod supra dixi ad

pri-

sic habetur in exemplari manuscripto

* Nuper ego audivi causam ~~[illegible]~~ irregularitatis D. Cantuariensis ex homicidio casuali nolu-isse Regiam Matem iudicare, quia causa illa pu-re Ecclesiastica est, et solis Ecclesiasticis legibus, vel ab Ecclesiasticis ~~[illegible]~~ hominibus po-testate mere Ecclesiastica decidenda, sed eam Episcopis commisisse, et Episcopos cum ipso D. Archiepiscopo dispensasse: quia Rex in his dis-pensandi auctoritatem nullam habet. Reliquit ergo sua Maiestas potestatem spiritualem Ecclesiae nec eam ad se trahit: Alioquin adversarii haberent, quod merito obloquerentur, si Rex in mere spiritualia et proprie Ecclesiastica extra suam illam regiminis externi etiam Ec-clesiastici supremam regiam potestatem immine-ret.

primum; Remitteret *suam Principibus potestatem*: remitteret integram, & absq; vllâ reseruatione, ciuilem obedientiam; *Liturgiam Anglicanam* approbaret; *vsum calicis*, concederet; de Articulis fidei controuersis, *conciliariter*, & seruato antiquo Ecclesiæ vsu, tractari permitteret: *Anathemata Concilij Tridentini*, suis bonis habitis a *Protestantibus* explicationibus, emolliret; *reformationi* alicui aurem præberet: de *Annatis, seu beneficialibus decimis*, cum Christianorum Regibus conueniret, *matrimonia* legitima *Clericis*, vbi iam inductus est mos, indulgeret. Et similia.

VII. Ad septimum. In votis mihi fuit, & est, vt cognoscant *protestantes*, *Ecclesiam Romanam non esse hæreticam*, *neq; idololatricam*, neq; pernitiosè superstitiosam; vt sic videant, se non posse, neq; debere, iustè ab eâ recedere, & ipsius, communionem vitare: videant ipsi pariter, & cognoscant, multa quæ tantopere abhominantur, & se inde in schismate firmant; auditis bonis explicationibus, & viso antiquo vsu puræ ecclesiæ, esse, aut bona & sancta, aut laudabilia aut saltem tolerabilia: Puta, *honorem reliquiarum*, *vsum crucis*, *Imaginum*, *Chrismatis*, *vnctionis infirmorum*, *Intercessionem & inuocationem sanctorum*, *missas priuatas*; quas ego posse defendi, libro meo quinto, cap. 6. num. 247. demonstraui; Et similia. Atq; hinc tollatur *schisma*, & fiat vnio. De hijs ego sæpe sermones miscui, cum omnibus, qui mecum differere voluerunt; Aliquos ne de facie quidem noui; alij ex memoriâ planè exciderunt. In mentem mihi soli occurrunt *D. Episcopus Lichfildensis*, *Dr. Goad*, *Domini Cantuariensis* Capellanus, & *Calandrinus* minister *Italicus*, totus *Geneuensis*.

Ad Octavum: Nihil Ego penitus certi habeo: sola

in animo meo quædam viget confidentia, quod cum *modernus Papa*, sit vir pius, & bonæ mentis, cupiatq; suum *Pontificatum*, insignibus magnis, & extraordinarijs actionibus, nobilitare, facile fieri posse, vt consilijs iustis & honestis, ad hæc magna ducentibus apertas aures præbeat; Iustum vero & honestum apud me est, & ad pacem religionis ducens, si *Liturgia illa* approbetur, vt *schisma* totum in reliquis auferatur.

IX. Ad Nonum, satis fuit me eos, coram D D. Episcopis *Londinensi*, & *Dunelmensi*, nominasse. ‡

X. Ad Decimum, particularia sunt, *Imagines*, *Inuocatio sanctorum*, *Chrisma*, *Oleum*, *Crux*, alia, quæ ad septimum commemoraui.

XI. Ad Vndecimum, *T. B.* in eâ re falsus fuit & certè mentitus est solenniter, si ex se ea confinxit; si aliunde habuit, fabulis otiosorum, & somnijs fuit deceptus. Ego nunquam aut dixi, aut scripsi, aut innui me, nomine *Regiæ Maiestatis*, quicquam in hoc genere agere, aut acturum.

Cum primùm in concionibus cœpi *Ecclesiam Romanam* defendere, statim *Puritani* obmurmurârunt, me esse *Papistam*; & consequenter me uelle ad *Papismum* redire.

Literæ priores, ~~passim~~ phrasim hominis *Veneti* redolent, parùm quidem sapientis; qui nec ipsa mendacia, in mei odium, consuere sciuerit; sed paucis in lineis, apertas contrarietates consarcinârit. Annon contrarietas est, *vt a laqueo, vel igne, vel veneno timeat*, qui rem *Pontifici* gratissimam, in ijsdem literis dicitur procurare? Iniuria quoq; aliqua, *suæ Maiestati*, in dictis literis infertur, dum innunnt *Regem serenissimum*, vt fecit *Gallus*, cum quodam *Abbate*, me velle prodere

‡ Dogmata fuerunt de libero arbitrio, gratia, et prædestinatione, et de unione cum Ecclesia Rom., à qua summopere abhorrent, et alia quæ mihi nunc non suppetunt.

et ad macellum mittere. Asserit iste, *cum meis cognatis se loquutum, & negotium eos ore rotundo fatentes reperisse*; Atq; hæc per *Romanum cursorem* delata esse ait; quod esse non potest; quia mihi *Romæ*, nulli cognati, nulli verè amici, passim cogniti,& aperti. *Venetijs* ergo hæc a meis indagari oportuit. At vero id apertum esse mendacium, & confictam calumniam, patet ex literis ipsis originalibus, quas exhibeo, meorum *Venetijs* degentium, quæ ex solis rumoribus, & ...te confictis dictis, mecum agunt,& a discessu dehortantur; non meis nituntur vllis literis, negotium confitentibus. Cur vero personas non nominat? Cur literarum clausulas ad verbum non recitat? Itáne calumnias struentibus, *Rex* sapientissimus & iustissimus credat? Liuor, & inuidia, ac sibi præreptæ gloriæ dolor, illa dictarunt; suam stupiditatem accuset ille, non meæ sinceritati & simplicitati detrahat.

Posteriores literæ,ex eodem fonte *Veneto* prodeunt; vt patet ex literis exhibitis, mei consobrini *Labieni*: vulgari enim fabulæ innituntur. Nemo mecum vnquam hâc de re egit; de ea nullum verbum mihi vnquam excidit; eam ne per insomnium quidem potui imaginari: vtinam tale negotium mihi à *sua Maiestate* imponeretur; strenuum profectò me haberet, ad pacẽ *toti Ecclesiæ, Regiâ* quoq; *auctoritate* comparandam, administrum: vt quod meo priuato officio exile sit futurum, tantâ auctoritate firmato, longè meliùs sit successurum. His tamen fabulis non est dubium, occasiones ab ipsâ *suâ Maiestate* datas, dum summâ benignitate rigorem legum aduersus *Papistas* in executionibus temperauit. Illi enim hinc publicè sibi *libertatem Religionis*, ex nuptijs expectatis, pollicentur. Hæ ipsorum fabulæ, cum meo discessu, ab otiosis coniunctæ, totam

integram fabulam pepererunt. Nihil ego ſpoſpondi, nihil in me ſuſcepi: Nam ſi quid ſpoſondiſſem, ſi in me ſuſcepiſſem, etiam profectò aliquid tentaſſem, et benè nouiſſem me in negotium inſinuare. Neq; is fuiſſet auſus temerarius, ſed valdè pius et religioſus.

XII. Ad Duodecimum. Ex meis literis nihil tale conſtat, aut conſtare poteſt. Expectabam quidem, vt priùs ſignificavi, *Breue*, ſed per vltimas *Româ* ad me ſcriptas literas, (quas originales ad ſuam *Maieſtatem* mitto) expreſsè mei docent, et me certiorem reddunt, *Breue* quidem eſſe expeditum; non tamen eſſe ad meas manus peruenturum, niſi cum fuero *Bruxellis*. Alias literas, niſi has ternas quas mitto hâc de re, non habeo; Et ille *Demetrius*, totum hoc peregit *Romæ* negotium; cuius alias priores literas iam dixi me igni tradidiſſe.

Hæc omnia ego verè, ſincerè, ingenuè, et ſimpliciſſimè protuli. Atq; in genere omnes calumnias, et accuſationes, quæ in hijs *duodecim quæſitis*, et *literarum clauſulis* continentur, vnico argumēto ſtatim exſufflari non dubito, et meam probitatem, atq; honeſtatem probari, quod ſi quid in me culpæ ſentirem, ſi me aliquam iuſtam offenſionis cauſam *Regiæ Maieſtati* exhibuiſſe mihi eſſem conſcius, cum iam per nouem menſes, mei diſceſſus agitetur negotium, potuiſſem millies, tutò, et abſq; vllo periculo, inſalutato tamen hoſpite, diſcedere. Cognoſcat ergo cupio *ſua Maieſtas* prudentiſſima, honeſtatem meam, qui non furtim et fugitiuè, vt alij, *Angliam* deſeruerim; ſed rationabilibus cauſis permotus, non ſine honorabili *ſuæ Maieſtatis* veniâ, mihi diſcedendum putârim. Non eſt igitur par, vt mea ideò ſit deterior conditio, quòd reſpectum *ſuæ Maieſtati* debitum, ne ipsâ inſcia et inconſultâ diſcederem tanti fecerim. Addo verò, neq; accuſationes ipſas, aut ſuſpiciones,

ciones, quæ à malevolis ſparguntur, et *in Quæſitis Regiæ Maieſtatis* continentur, in ſe aliquid turpis, et inhoneſti, continere: Si huc eo animo, eoq; conſilio veniſſem, ſiue ſpontè, ſiue miſſus, vt *de ſchiſmatis extinctione*, de *Eccleſiarum vnione*, de *Regiæ Maieſtatis, & regni cum Romanâ Eccleſiâ reconciliatione* tractarem, prouinciam profectò Heroicam ſuſcepiſſem, apud Deum maximè meritoriam, apud homines mihi quidem glorioſam, *Regiæ verò Maieſtati* et *regno*, in vtroq; homine, ſummoperè proficuam. Venit meis diebus in hoc regnum *Ieſuita* quidem *Mediolano*, vt tentaret *ſuæ Maieſtatis* et *Regni conuerſionem*; numquid in eum inquiſitio inſtituta? Dimiſſus ex regno eſt à *Regiâ Maieſtate*, et pacificè, et liberalitèr. Grauiora mihi incommoda, aut moleſtias, timere cur debeam? Quæ tamen negaui, verè, et ingenuè, et ſincerè negaui. Pigetq; me, ac pudet, quòd tale, tamq; nobile negotium, in me reverâ non ſuſceperim, ſed iuxta nimiam humanam prudentiã, rem *theoricè* duntaxat tractârim, non practicè. Quod tamen re ipsâ tractare non tentaui, id perpetuis à Deo precibus contendam, quoad vixero, impetrare. Deus ſuâ gratiâ adſit propitius.

Rogo denuò *Sereniſſimi Domini Regis Clementiam*, concedat mihi hilari fronte abeundi petitam licentiam, abeuntemq; liberi ac ſecuri, per ſuas ditiones, commeatus *Literis*, communiat, et proſequatur famulum ſibi perpetuo addictiſſimum

Londini in Domo Sauoyenſi
Die 11. Februarij 1621.

M. Antonium de Dominis
Archiepiſcopum Spalatenſem.

QVOD

QVOD suum responsum, vnâ cùm tribus, quarum mentio fit in *vltimo* Responsi *Capite*, literis ad me scriptis, in hæc verba, inclusit Archi-episcopus.

ILLVSTRISSIMO ET Reuerendissimo Domino, *Episcopo Dunelmensi.*



ILlustrissime & Reuerendissime, Domine Colendissime. *Ad Quæsita* suæ Maiestatis, *quâ potui breuitate*, *summâ tamen sinceritate, respondi : Responsiones ad vestram* Illustrissimam *&* Reuerendissimam Dominationem *mitto*, *cum tribus literis originalibus*, suæ Maiestati *exhibendis*. *Rogoq;* *vestram* Amplitudinem; *dignetur hac ad* Serenissimum Dominum Regem *quamprimùm mittere*, *neq;* suæ Maiestatis *aduentum ad* Theobaldum *expectare*.

Ergà vestram illustrissimam, Et
Reuerendissimam Dominationem
affectissimus

Marcus Antonius Archi-
episcopus Spalatensis.

LOCI

LOCI TRIVM ILLArum literarum, *qui ad hoc negotium spectant.*



Vllus dubito, quin Signior Labieno, *superioribus suis literis, dominationem tuam, de quodam rumore certiorem fecerit, quem iam anteà, consilio cuiusdam amici, tibi significaueram: Is autem nunc admodùm percrebruit, iamq; Regi per legatos innotuit; Te scilicet, consilia cum* Papâ *communicare, imò iam* liberum *te* Commeatum *ab eo ope* Hispanici Legati *obtinuisse ad reditum, & alia huiusmodi non pauca; Quæ mihi mera somnia, planeq; videntur impoßibilia. Sed hæc, vtcumq; se habeant, cùm tibi res sit cum* magnis *& supremæ potestatis* Principibus, *qui sæpè* specioso commeatuum pretextu *res miras exequuntur; Ego te etiam atq; etiam moneo, prudentiam, iudicium, consilium prudens & maturum, quantum res ipsa requirit, adhibeas. Etenim, nisi me fallit memoria, audire me memini, de quodam magni nominis viro, qui cum a* Pontifice *commeatum liberum impetrasset, postquàm semel in eius potestatem venit, pro libitu ab eo tractatus est. Querenti autem misero de hâc iniuriâ responsum est* á suâ Sanctitate, eum tamen non sic euasurum. *Post* interdictum Venetum, *spectata & audita sunt exempla eorum, qui se* Romam *receperant, quæ tui status & conditionis hominem, ab instituto deterrere debeant: Vt qui ab ijs defeceris, & ea scripseris, quæ* Romæ *grata & accepta*

esse nequeant; ea presertim, quæ sunt de Papæ Primatu,&c. *Quare si rumor hic verus est (quod ego non credo) caue quid agas; Si falsus, diligenter vnde promanauerit, exquire. Magna enim sit eius calliditas oportet, qui confinxit primus, atq; disseminauit. Fieri potest vt á* Sienâ, *aut illâ viciniâ prouenerit, ad te, ex eo, quem obtines apud* Regem, *gratiæ loco, deturbandum. Per Ego te diuinum Numen obtestor, circumspectè te geras. Magna est animi mei anxietas, neq; interim, quid omninò dicam, reperio. Hæc autem pauca visum tibi scribere, cum iamè diuturno morbo conualescerem; quia magni res momenti videbatur, de quâ audire te, meo iudicio, partium mearum esse indicaui. Superest te rogem, hæc in bonam partem velis accipere, vt ab amore profecta summo, quo ergà te afficior; vt tibi ipsi planè persuasum spero. Libenter scirem, vtrùm* tua Dominatio, *super hisce rebus, aliquid ad* Dalmatas *suos scripserit. Hic enim ferunt nonnulli, scripsisse te, doctrinam te Romanam istic vulgò spargere; consciumq;* Regem, *tuos conatus suâ auctoritate comprobare; Itemq; alia multa eiusdem farinæ.*

meo iudicio

Ad oram huius partis Epistolæ scripsit Archi-Episcopus.

Hæc est illa calumnia, quam scriptor, ille sparsit, tales literas nunqàm scripsi.

M. A.

Et Rursus.

Fal-

Falſum ergò eſt, meos ore rotundo hoc fateri, quod Iſte ſpargi ab alijs aſſerit.

SECVNDÆ EPISTOLÆ Locus.



Liquot abhinc menſibus, hic iactatum eſt, Dominationem tuam, *in quibûſdam ſuis concionibus, animi erga* Curiam Romanam *propenſi, & obſeruantis, multa dediſſe ſigna: quæ* Regi, *quidem grata fuerint; ſed populum aduersùs te,* Regemq; *grauiter commouerint. Iactatur etiam, deputatum eſſe,* ab Apoſtolica ſede, *Cardinalium conſeſſum: de quorum conſilio & deciſione, ſint illæ nuptiæ, tot votis expetitæ, inſecuturæ: Prætereà, impetratum per* Hiſpanicum legatum *eſſe* Dominationi tuæ *à* Papâ *liberum commeatum teq; primo quoq; tempore* Romam ab illo Rege *ablegandum, ad* illam Eccleſiam communi Papalis obedientiæ fædere cum cæteris adunandam. *Qui quidem conatus, vt eſt inprimis honorificus, & tanti res ipſa ponderis ac momenti, vt omnem longè comparationem ſuperet, quæ nomen tuum ſempiternæ memoriæ ſit conſecratura, attonitum redditura, præſens iſtud ſeculum, & in poſteros perpetuæ admirationis argumentum tranſmiſſura; Vnde poſteà, deo tuis cæptis aſpirante, vſurpari de te poſſint illa præſtantiſſimi* Poetæ *Carmine.*

O bone, res magnas egisti tempore paruo,
Quarum nulla potest famam delere vetustas.

Ita impulsus amoris ergà te mei vehementiâ, quæ mecum me reputare contigit, eadem tibi scripto hoc, cogor impertiri. Quis nescit dolos hispanorum? Magnus Piscis non capitur angustis plàgis. *Hij sunt infames scopuli, ad quos in alterutro littore charissimus & illustrissimus meus* de Dominis *allidatur.* Dominationis tuæ liber secundus, *qui nuper in lucem prodijt, vt ex communibus amicis, viris prudentissimis, & nostrûm vtrinsq; amantissimis, intelligo, abditissimas & intimas* Romanæ Curiæ *vomicas, & vlcera detegit; quæ dissimulare iniurias egregiè nouit, condonare vix solet. Ideoq;* Illustrissime mi, *& dilectissime* Domine, *rem totam diligenter expende; discute, & exquire singula cum curâ:* Facilè decipitur qui facilè fidit. Venerare Deum; Regem cole. *Sed & arcanorum quoq; propriorum, tuæq; vitæ, rationem habeas: cuius ego charitate, studioq; sic tangor, vt amicorum tuorum hâc in re cedam nemini, vel potiùs omnes superem. Quamobrem obsecro te,* mi Domine, *velis aliquid multum sollicitæ menti meæ solatij, ac tranquillitatis, tuis literis elargiri; quod impatienter ego cupio.* Deus *præclaros & maximè Christianos* Dominationis tuæ *conatus secundet.*

Venetijs Decemb. 10. 1621.

TERTIA

TERTIA EPISTOLA.



Llustrissime & Reuerendissime Domine; acciuit me circà vicesimam secundam diei horam Cardinalis Mellino et Breue mihi ostendit, quod in tuam gratiam sua Sanctitas iam tandem expediuit. Nihil illi deest præter impressionem annuli piscatoris. Ego postquàm illud legissem, tale esse, quale tu ipse optares, certò comperi, nihilq; in eo desiderari, quod ad securitatem tuam facere poterit. Idem me porrò monuit, Dominationem tuam certiorem facerem, mandasse Sanctitatem Suam, vt Bruxellas ad Nuntium suum transmittatur hoc Breue; quod grauibus de causis expedire non putaret, venire illud in manus tuas, priusquàm ex Angliâ discessisses, et Catholicorum Principum ditiones intrasses. Cæterùm mihi certissimum est, idq; te facilè percepturum confido, cùm veneris ex ipso tenore et formulâ diplomatis, eos hic tecum bonâ fide, et simpliciter agere, tuumq; omnes aduentum cõmunis boni causâ magnoperè desiderare. Quod de destinatâ tibi Ecclesiâ, et eius æstimatione, ad te scriptum est, verissimum est; neq; est quod de eâ re dubites. Potes igitur iter ingredi, quàm citò volueris: Breue enim, vbi iam monui, et vnà Epistolas alias Commendatitias, inuenies. Non aliud nunc occurrit, quod addam, nisi vt Dominationi tuæ tester, me, quamdiù hic in Curiâ de tuo negotio deliberatum est, fraudis, aut aduersæ ergà te voluntatis aliquid, ne minimam quidem suspicionem subolfacere potuisse. Age igitur, bono sis animo, lætusq;

iter auspicare; quod fœlix faustumq; tibi Deus esse velit. vale.

Romæ *Jan.* 8. 1622.



ÆC omnia *Regiæ Maiestati* cùm essent exhibita, atq; perlecta; non acquiescendum sibi putauit *Rex serenissimus* prioribus *Quæsitis*, sed de alijs in-super *Archi-episcopo* eâdem ratione proponendis decreuit: quæ hîc subiecimus.

Februarij 16. 1621.

QVÆSITA ALIQVOT in quibus cupit sua *Maiestas* sibi à *Reuerendissimo Domino Spalatensi* satisfieri.

I. 

Vm *Reuerendissimi Domini* reditus ad *Ecclesiam Romanam*, haud leuiter attingat *Maiestatis suæ*, & *Ecclesiæ Anglicanæ* honorem: cumq; dixerit *Dominus*, post nouem menses iam elapsos, agitatum illud negotium, eoq; spatio, potuisse se tutô discessisse; Quærit sua *Maiestas*, quî factum, vt se insciâ & inconsultâ, vel *ipsemet Dominus* hoc egerit, vel passus sit quempiam suorum, id apud *Pontificem* agere.

Cùm

Cùm *sereniſſimus Rex Reuerendiſſimo Domino*, vt ipſemet fatetur, tum vitæ commoda ſuppeditari curauerit, tum beneficijs Regijs, *ipſum* ornauerit; fueritq; *ſua Maieſtas* tam propenſo in *Dominum* animo, vt ſi ſciuiſſet deſiderari quicquam vltrà à Domino, ad prouentum & dignitatem ampliorem, plura accumulâſſet; Quærit *ſua Maieſtas* quomodò potuit *Dominus* ſine *Maieſtatis ſuæ* iniuriâ, vel cum *Pontifice*, vel alio quoquam principe extero, inconſultà *Maieſtate ſuâ*, de promotione, vel prouiſione aliâ, agere, vel ab eis oblatæ aurem præbere. II.

Cùm *Reuerendiſſimus Dominus*, ad quoddam *ſereniſſimi Regis* Quæſitum nuper reſponderit; (*Legantur manifeſti mei verba*) *Rex* cupit vt explicet *Dominus* ſententiam ſuam præſentem, ſi á priori & apertâ iam diſcedat, in nonnullis, quæ ibidem habentur. III.

1 *Inuenta auaritiæ & ambitionis, non ſine ſuperſtitionibus obtrudi.*

2 *Eccleſiaſticæ Controuerſiæ non Theologis, ſed Tortoribus* Romæ *committuntur.*

3 Romana Curia *ſectam ſeparatam facit.*

4 Romana Eccleſia, *non eſt amplius* Eccleſia, *ſed Reſpublica quædam humana.*

5 *Profectionem hanc meam, ſiue etiam ex* Babylone *exitum, omni* Schiſmatis *ſuſpitione, carere volo.*

Libellum

IIII. Libellum in Anglia conſcriptum, & editum *Italicè*, (cui titulus, *Seogli Del Chriſtiano Naufragio 1618.*) *Rex* ſcire cupit an-non *Dominus Spalatenſis* pro ſuo proprio agnoſcat, ab ipſo excogitatum, nemine ad hoc inſtigante evulgatum, ac ab ipſius authoris ſententiâ liberâ conſcriptum.

V. Inter alia ibidem nùm iam agnoſcat, aut reijciat;

Italica edit. Page 27. I. *Se abſcindens, ne ſit pars, aut membrum; nempe vt ſe conſtituat caput; eo ipſo omnem ſpiritum, vigoremq; quem á me, quaq; Eccleſia particularis deriuat, amiſit* (nempe, *Romana Eccleſia.*)

Page 69. II. *Dum vos prætenſo Eccleſiæ capiti vnire, ac ſubijcere conamini, à me* (Eccleſia Vniuerſali) *voſmet ſeparâſtis. Secta quam facit Romanus Pontifex, certè nec Catholica eſt, nec Eccleſia, ſed ſchiſma diabolicum; In quo non vnio ſancta, ſed conſpiratio, vnitaſq; factionis.*

Page 63. III. *Relinquendæ vana, ſuperſtitioſæ (vtinam non idololatricæ) miſſæ.*

Page 84. IV. *Huic pani fiunt preces, adorationes, vt vero Deo, non ſine expreſſiſſimâ, proprijſſimâ, & formaliſſimâ idololatriâ.*

Page 107. V. *Aſperſio aquæ ad venialium abſterſionem, mera eſt ſuperſtitio.*

Page 129. VI. *Dira eſt Blaſphemia dicere, merita ſanctorum inſeruire auferendis peccatorum pœnis.*

Page 131. VII. *Si quæ eſſent, vere indulgentiæ, ſtultum eſſet eas á Papâ quærere, cum poſſint æque ab Epiſcopis veſtris concedi.*

HIS

HIS Quæsitis *Archi-episcopus*, cum plenè & sigillatim respõdere grauaretur (illi præcipuè Capiti, quod erat de duobus eius libris, quibus ipsum *Romanæ Ecclesiæ* iugulum petitum iuit) in hæc tria subsequentia redegit omnia; quibus hunc in modum respondit.

Februarij 16. a natiuitate 1622.

TRIA principalia noua QVÆSITA tertio loco a *Serenißimo Domino Rege* proposita, in quibus sua *Maiestas* cupiat sibi a me *Marco Antonio Archi-Episcopo Spalatensi* satisfieri, sunt.

Primum, Quomodò *a me* factum sit, vt spatio nouem mensium, *suâ Maiestate* insciâ & inconsultâ egerim, vel passus sim a meis apud *Pontificem* agi, de meo ad *Ecclesiam Romanam* reditu; siquidem id non leuiter attingat *suæ Maiestatis* & *Ecclesiæ Anglicanæ* honorem. I.

Secundum. Quomodò potuerim, sine *suæ Maiestatis* iniuriâ, cùm *Pontifice*, vel alio quoquam Principe extero, *inconsultâ sua Maiestate*, de promotione, vel aliâ prouisione agere, vel ab eis oblatæ aurem præbere, tot beneficijs Regijs ornatus, & vlterius ornandus II.

dus á *suâ Maiestate*; si sciuisset quicquam vltrà, à me ad prouentum & dignitatem ampliorem desideraui.

III. *Tertium Quæsitum.* An Ego sim in eâdem sententiâ, quam posui in duobus meis libellis nimirùm in *Manifesto* et *Scopulis*, præsertim circà *quinq*; speciales *Manifesti* propositiones, & *septem* alias in *Scopulis* contentas: An verò à priori & apertâ meâ sententiâ, in his discesserim, & nùm hæc modò agnoscam, vel reijciam.

MEÆ RESPONSIONES, die 18. Februarij, sunt quæ sequuntur.



D Primum. *Quomodo meus reditus in Patriam attingat, vel* suæ Maiestatis *vel* Ecclesiæ Anglicanæ *honorem, ego profectò non percipio. Honor* suæ Maiestati *&* dictæ Ecclesiæ *fuit, me hospitem amico hospitio excipere. Iam verò discedere cupientem hospitem, liberum, & non vllius mancipium fugitiuum, hospitis recipientis honor paritèr, & non ignominia est, honorificè dimittere. Siquidem hospes in Patriam reuocatus, dùm a suo hospite dimissionem petit, honorem illius nihil prorsùs lædit, hospitis sui beneficentiam gratâ memoriâ perpetuò prosequuturus.*

Reditus ad Ecclesiam Romanam *dupliciter considerari potest: Primùm*; *Ratione excessuum, quos in eâ viri Catholici iam diù reprehenderunt*; *Ad eos me rediturum*

rediturum non profiteor; *& hoc sensu ad* Ecclesiam Romanam *non redeo. Deinde* Romana Ecclesia *in suo fundamento, et essentialibus, potest considerari: Quâ ratione iam dixi, me tenere* Ecclesiam Anglicanam *&* Romanam, *esse* vnam *& eandem Catholicam, (si* schisma *absit) non* duas *& diuersas. Et sic ad* Romanam *rediens citrà* schisma, *ab* Anglicanâ *spiritu non recedo. Si tamen in his fallor, instrui cupio, & emendari sum paratus. Quod si Ego etiam ad vomitum, vt canis, redirem, domini* Regis, Ecclesiæq; Anglicanæ *honori, in nullo prorsus præiudicarem, sed meo soli.*

Quod verò per nouem menses *dixi me potuisse abire; iam in alijs meis responsionibus posui, me neq; primis tractatibus fidem adhibuisse, dum sincerè mecum agi non putabam, neq; aures præbuisse ad consentiendum. Habui me merè passiuè, quoùsq; tandem consensum præbuerim; Quo præbito,* Regiæ Maiestati *rem statim notam feci. Potuissem itaq; toto hoc* nouem mensium, *a primâ mihi datâ* Papalis inuitationis *notitiâ, spatio quouis die consentire, et abire. Diù tamen renui, & cauens suspiciones dolosæ alicuius meæ confictionis, (vt in primis est responsionibus) ab hoc negotio* suæ Maiestati *aperiendo abstinui. Si prius consensissem, reuerà etiam prius rem* serenissimo Regi *significâssem. Ante consensum eam eidem significare,* suæ Maiestatis *nihil intererat; mihi verò summoperè noxium (vt dixi) esse potuisset.*

Ad secundum. *Si mihi, non dicam vera aliqua, vel minima* suæ Maiestatis *iniuria, sed etiam leuissima iniuriæ vmbra innotesceret, potiùs me vitâ carere vellem, quàm tanto* Regi *esse iniurius. Habui a sua Maiestate secundo post meum aduentum anno non multum supra* II.

quadringētas in totum ex Ecclesiasticis reditibus libras annuas. Qui mihi non benè cupiebant, me vltrà mille habere, suæ Maiestati *retulerūt. Talis enim inter* Aulicos *rumor increbruit; quotidiè importunum esse petitorem, & sic notam hominis insatiabilis incurrere, mihi non exiguus rubor esse visus est. Scio &* Deo *&* Regi *maximè illud conuenire,* non amas, & deseris. *Deum nihilominus testor, me neq; cum* Pontifice, *neq; cum vllo* Principe, *de promotione aut prouisione egisse. Oblata mihi fuit Ecclesia valdè opulenta, in genere; non vlla in specie; Sed Ego oblationi huic animum non adieci. De illâ pacisci nunquàm volui, nunquàm certificari, in hoc nunquàm constiti, id nunquàm vrsi, in hoc meo motu ad temporalia nunquam anxius aspexi; solam securitatem præcipuè quæsiui, vt liberè & tutò ad meos reuerti possim, & apud eos quietè senium traducere, post exposita mea pro bono communi consilia; vt possem pariter domum meam, a pluribus sæculis inter domos nobiles in meâ Patriâ insignem iam meâ potissimum absentiâ labantem confirmare, nepotesq; meos, & neptes iam nubiles, fratris mei, nuper ob inimicis suis occisi, liberos, absq; vllo regimine, & sine matre relictos, in tuto collocare.*

Iam verò illud addo, me debere meam stupiditatem accusare, qui non possim percipere, quomodo sit serenissimo Domino Regi *iniuria, si exterus homo, non ei naturaliter subditus, etiamsi a* suâ Maiestate *esset certo stipendio ad aliquod munus exercendum, non diuenditâ tamen suâ libertate, conductus, vel patriæ amore, vel etiam pretio octuplicis stipendij, a suo vel alio Principe illectus, humiliter bonam discedendi veniam peteret, & cum bonâ veniâ dimissus, ad alium Principem se*

trans-

transferret. Itanè ergò vnus aliquis ex medicis exteris, suæ Maiestati *inseruiens* (*vt hoc etiam exemplo mihi apposito vtar*) *iniuriam fecisse eidem Maiestati reputaretur, si à Rege alio inuitatus & multo maiori stipendio auctus*, *a* suâ Maiestate *veniam peteret discedendi? Quid faciunt quotidiè duces militares? Annon ab vno Principe ad alium citrà infamiam, citrà iniuriam commeant, ad altiorem militarem gradum, & ad ampliora stipendia euecti? Nullius ergò iniuriæ penitùs possum esse conscius, à quâ profectò totus abhorreo.*

Ad tertium. *Si mea doctrina, meaq; propositiones, siue in illo mei* Manifesti, *siue in altero* Scopulorum *libello, continent aliquid* huic Ecclesiæ, *vel* regno, *aut* Regi *scandalosum, pernitiosum, improbabile; cur alter admissus hic initio, et recusus; alter verò vt hîc ederetur, approbatus? Cur non vterq; damnatus, impugnatus, suppressus? Si verò propositiones illæ, illaq; doctrina, hic laudabilis est, approbanda, et retinenda, cur ipsius à me nunc noua ratio reposcitur? Quò examen hoc, quò a me noua petita confessio tendat, ignoro.* Si male loquutus sum, &c. *Io. 18. 23. Nisi fortassè, vt noua horum confirmatione, mihi abeunti pericula apud* Pontificem *augeantur. Ego verò, quoad* hos duos libellos, *qui mihi parerga fuerunt, & ad duodecem propositiones ex illis erutas, mihiq; obiectas, illud profiteor in genere;* Me pro populo populariter vtrumq; scripsisse; *Nam eandem doctrinam doctrinaliter, hoc est multò pensiculatiùs, in magno de* Republica Ecclesiastica *opere tractaui. Et inde potiùs mea vera mens, quàm ex istis popularibus libellis, plenis oratorijs amplificationibus abq; solidis & benè fundatis argumētis,* III.

est colligenda, et cognoscenda. In his ego libellis eos abusus reprehendi, siue Pontificis, *siue ipsius* Curiæ, *siue* concionatorum, *& ministrorum, siue* rudium *ex infimâ plebeculâ, siue etiam communes totius* Ecclesiæ Pontificiæ, *quæ tunc vigebant erantq; mihi notissimi; sed non omnes professione ejusdem Ecclesiæ firmati. An verò nunc iijdem abusus perseuerent, nescio. Propterea quæ tunc meritò reprehendebam, nunc qu q; si perseuerant, illa omnia nihil minùs puto esse reprehendenda. Sed quià nescio an perseuerent; imò, quià plurimum spero, sub* præsenti Pontifice *valdè religioso, et pio, aliam iam esse illius, &* curiæ *&* Ecclesiæ *formam ac faciem, ideò non possum, nisi stultè et imprudenter, ea nunc vel approbare, vel reijcere, aut quicquam absolutè asserere. Hypotheticè verò plurima affirmari possint; sed nihil ex hypotheticâ propositione stabilitur. Ita in hoc regno, aliter se res* ecclesiæ, *&* Religionis *habuerunt, ante* Henricum octauum, *aliter sub ipso* Henrico, *aliter sub* Edwardo sexto, *aliter sub* Mariâ, *aliter demùm sub* Elizabethâ, *& sapientissimo* Iacobo. *Sic humana omnia sunt semper mutabilitati obnoxia, nec eodem perpetuò stante vento nauigamus, sed prudens nauta varijs flatibus, varijsq; velorum obuersionibus, clauiq; flexionibus ad destinatum portum dirigit.*

Marcus Antonius Archi-
episcopus Spalatensis.

POST



POst missam ad *Regem* hanc eius responsionem, non abs re visum est vlteriùs adhùc cùm illo agere, vt ipse se planiùs & pleniùs exprimeret in *Articulo de schismate*, quò certò constaret cui tandem parti culpam illius adscriberet. Quoniam autem amicâ & familiari dissertatione malebamus id ab eo elicere, quam Quæsitis solennibus extorquere; egi cum Doctore *Goad*, (qui à primo eius aduentu in hoc regnum multo familiaritatis vsu fuerat illi coniunctissimus) vti illum, quasi aliud agens, viseret, & progressu sermonis hùc consultò deueniret. Summam huius eorum disceptationis, vt est ab eodem Doctore *Goad* scripta & subscripta, subiecimus; quæ tota ferè rebus ipsis nihil aliud est, quàm quod in priori *mecum* & cum Doctore *Goad* colloquio, iam anteà tradiderat.

NARRATIO DOCTORIS GOAD, sui cum Archi-episcopo colloquij, Februarij 19, 1621.



HOdiè manè Archi-episcopum Spalatensem, *rogatu* Episcopi Dunelmensis, *adiui, experturus an eum possem adigere ad pleniorem suæ mentis explicationem, de eo, quod* Dunelmensis Episcopus, *& ego, è quodam eius colloquio nobiscum, paucis anteà diebus*

diebus habito, collegeramus eum velle; quo tempore nobis visus est causam schismatis *Nobis imputare; quò spectare quoq; videbantur eius verba, quibus respondens ad Quæsita* Regiæ Maiestatis, *et anteà nobiscum priuatim differens, vsus est*, Schisma non mihi plenè innotuit, nisi ante paucos menses, post plures discussiones *Quià autem non nisi inuitum Quæsitis ex auctoritate propositis vrgeri deprehenderamus; statui cum eo obiter, pro ratione veteris nostræ consuetudinis & amicitiæ, tanquàm sponte meâ, proprioq; consilio, agere. Multus nobis sermo fuit de* naturâ schismatis; *de quo maluit me ad* septimum suum librum (Francofurti *iam ad vmbilicum ferè perductum, breuiq; proditurum*) *remittere, quàm adhærescere prioribus suis, eisq; publicis, assertionibus, quibus illud* Pontificijs *imputabat. Non ità pridèm cum illi adessem, perfrictâ fronte palàm* Protestantes *illius insimulabat : Nunc autem dicebat*, scrupulos se, et in vtramq; partem dubitandi causas habere. *Quas ego dùm requiro instanter, declinat, et se subducit. Culpam tamen in* Puritanos *reiecit; et de* nostrâ Ecclesiâ, *ex absurdis ac temerarijs quorundam immo-dico partium studio laborantium, pronunciat. Cum instarem vt apertiùs ageret, ait se audiente quendam dixisse*, cùm Turcâ nos posse faciliùs quâm cùm Papâ conuenire: *quod puto proprium cerebri ipsius figmentum esse. Cùm suos ipsi* Scopulos *obijcerem, in quibus culpam schismatis in* Ecclesiam Romanam *confert, ad* magnum illud opus suum *me remisit. Cùm replicarem, eum, disertis, in eo libro, verbis asserere de* illâ Ecclesiâ, Constare ipsam esse perfectissimè schismaticam, *regessit, se caput illud de* Schismate septimo *Operis sui libro (qui mihi nunquàm*

visus

visus est) ex professo tractasse. Illic igitur, vt videtur, deuorato omni conscientiæ terrore, prius affirmata, contrariâ assertione reuocat, vt Nos in barathrum schismatis pro sua virili præcipitet. En quò hominem impulit ambitio, vexit auaritia. *Autographa librorum suorum hic editorum, consulto consilio é conspectu profligata, nunquàm sibi á prelo typographico (quod vanum esse scio) relata fuisse fingit. Multa tamen obtestatus est, nunquam se pro suo abnegaturum, quod esset a se scriptum; neq; commißurum vnquàm, vt de me malè mereatur in hoc genere; cui se nonnihil debere agnoscebat in partu in-formi lingendo. Hoc vnum, quod in postremis responsis strictim attigerat, mihi pluribus explicauit; nimirum,* Nolle deinceps adigi se ad respondendum quicquam de præsenti suâ opinione. Sibi enim fraudi futurum, si, post acceptam redeundi ad illam Ecclesiam conditionem, Papa resciret, eum, quæ sunt contrà Papatum dogmata, palàm approbare. Se tamen vouebat in priori, quam publicè professus est sententiâ, ad vltimum vsq; vitæ spiritum, constanter persti turum; quamuis eam fortasse silentio suppressurus esset. *Quare, si quæ postea ipsi proponentur, videntur ea potiùs dirigenda ad sensum olim scribentis, quàm iam perfugæ. Frustráq; aliud ab eo, de præsenti eius opinione exspectemus, quam* ἐπέχω, dubito, scrupulos habeo in vtramq; partem, plenius considerabo, *&c. vt agnoscas hominem versipellem in nido educatum* Iesuitico.

T. Goad.


Amq; Ex his abundè tibi ſuppetere crediderim, vnde de propoſitis à te quæſitis plenè tibi ſatisfacias; de *Archi epiſcopo* nempè *Spalatenſi*, & eius inſtituto reditu; de *Regis* integritate & exiſtimatione, ab omni ſuſpicione per *Archi-epiſcopum* vindicatâ; vt qui nihil vnquàm in vllo *Regiæ Maieſtatis*, ſiuè meditato, ſiue fortuito, facto vel ſcripto, deprehendere potuerit, vnde iſti rumores orirentur; aut aliundè exortos ipſe, vel eius amici confirmarent; nedùm vt *ipſo* auctore & impulſore de diſceſſu conſtituerit; quod mendaci famâ diuulgatum eſt. De ipſo autem *Archi-epiſcopo*, nolo præuenire illud iudicium, quod de eo laturum te, poſt lectam hanc narrationem, nullus dubito. Quis de eo peiora ſentiat, quàm ipſe de ſe pronuntiauit? *Se mercenarij medici aut militis in morem, dominos, pro auctoramenti ratione mutare; & velificationem proprio compendio ſemper accommodare*; quâ re, in religionis & fidei negotio nihil poteſt eſſe deteſtabilius. *Rex* autem *ſereniſſimus*, non de ſuâ magis, quam *Eccleſiæ Anglicanæ* exiſtimatione, ſollicitus, & amore veritatis impulſus, vt etiam quantum poſſet, in intimos perfidi huius animi ſenſus, ſuâ ſedulitate penetraret, contentus non eſt his omnibus, ſed aliquot adhùc *Quæſitis* eliciendum putauit, quicquid ab eo potuit elici. Quibus *Archi-epiſcopus*, miſſâ ad *Decanum Wintonienſem* Epiſtolâ, quæ *Regi* oſtenderetur, reſpondit his verbis.

Admodum Reuerende Domine Decane, Domine obſeruantiſſime.

DE *duobus adhuc, inter alios non paucos, ſcrupulis, maximè in animo* ſereniſſimæ Regiæ Maieſtatis *(prout herì ſignificabas) hærentibus, quatenus turbatiſſimæ menti meæ licuit, aliquam habui conſiderationem. Vix aliud occurrit dicendum, niſi quod iam, in præcedentibus meis reſponſionibus explicaui.*

Et quidem de ſchiſmate, *mea verba hæc fuerunt, viz.* Schiſma non mihi plenè innotuit, niſi ante paucos menſes, poſt plures diſputationes. *Ego* neutrius partis ſchiſma *accuſo; ſenſus meorum verborum eſt, me de* materiâ ſchiſmatis, *non niſi ante paucos menſes, tractatum exactum iniſſe; & quid de* ſchiſmate *ſentirem, plenè poſt varias diſcuſſiones & diſputationes, illud in genere ſtatuiſſe,(vt* in meo libro ſeptimo cap. 10°. *apparebit,)* illi parti crimen ſchiſmatis deberi per quam ſtet, quò minùs vnio fiat in fide fundamentali, & charitate. *Et hoc eſt quod in genere mihi innotuit. In ſpecie vero conſequenter mihi innotuit, me hactenùs non habuiſſe ſufficientem notitiam, quâ poſſem certò alterutram partem dàmnare, tanquàm ſchiſmaticam; quià* pro *vtràq; parte, et* contrà *vtramq;, argumenta non leuia ſuppetebant; vt propterèà in dicto* ſeptimo lib. cap. 10. *(vbi erat proprius de* ſchiſmate *tractandi locus,) nihil potueram certè in hoc ſtabilire. Pungit me acriùs & vehementiùs Regia ſuſpicio, quam ei ingeſſerunt literæ, et relationes malignorum, nec non vulgi voces, quaſi me authore divulgata ſit fabulâ, de* reconciliatione

ciliatione Regis *&* Regni, cùm Ecclesiâ Romanâ. *Sed ego Deum testor iterum, & in meâ conscientiâ verum dico, me nullam in hac fabulâ, neq; voce, neq; scripto, neq; mentis cogitatione, partem habere, vt velim id quod non est, affirmare.*

Illud certum est, vt ex literis meorum consanguineorum satis patet, cùm primùm Romæ *instituta est tractatio super dispensatione in nuptijs* Principis *cum* Hispanâ, *evulgatum fuisse, id fieri non posse, nisi adsit conditio* libertatis Pontificiorum; *alij addiderunt etiam* totalem Regis & Regni reconciliationem, *mox audierunt tractari* Romæ *de meo reditu, tunc simul ità coniunxerunt. Ex his* Romani vulgi *commentis, mei cognati permoti, (vt colligitur ex ipsorum literis) suspicati sunt* Pontificem *curare arte, vt* rex *mittat me pro hoc negotio; eoq; collimare* Hispanum legatum *in saluo conductu pro me hoc titulo impetrando, vt sic me habeat ipse* Pontifex *in manibus, & eo modo tractet, quo alius tractauit* Abbatem *quendam* Gallum; *ac propterea dehortabantur, ne id muneris in me suspiciam, quantumuis gloriosum sit, sed mihi caueam. Vident verò, qui mihi malè cupiunt,* Dominum Regem serenissimum, *ex his figmentis, plurimùm turbari et commoueri; incendunt contra me* suam Maiestatem, *et me omninò faciunt auctorem; sed deberent meorum dictorum testes ex auditu proferre, aut literas ipsas meas originales, si scripto egi: alio-quin sunt meri calumniatores, et deus inter me & illos iudicabit. Mihi angustiæ sunt vndiq;: Manere iam, etiamsi maximè velim, non possum: tam immane, et atrox communissime contra me est conceptum odium; abire non datur. Tædet profectò animam meam vitæ mea.*

meæ. Deus tamen refugium meum est, & virtus. Vale, *& ora pro me; ac impetra, si potes, liberam et benignam quam-primùm dimißionem mihi.*

Tui amantißimo

Marco Antonio de Dominis

Archi-episcopo Spalatensi.

Ex Domo Sauoyensi die
19 Martij. 1621.

ERe præterea visum est, quamuis iam libros ille suos hic editos, pro suis agnouisset, ab eo tùm requirere, vt hanc suam professionem & agnitionem, scripto manu propriâ consignato confirmaret. Pari quoq; consilio de *Reipublicæ Ecclesiasticæ* libris eius agitatum est, vt eorum autographa, si fieri posset, ab eo obtinerentur. Ad hæc ille postulata, literis ad *Decanum Wintoniensem*, manu propriâ scriptis, dedit hoc responsum.

Admodum Reuerende et per-illuſtris D. Decane VVintonienſis.

QVOD *ſpectat ad mea originalia illa mei operis Maioris* de Republica Eccleſiaſtica, *quaá me vltimam manum impoſitam habuerunt, ea data ſunt typographo, & apud ipſum manſerunt; neq; vnquam mihi reſtituta fuerunt; nam neq; reſtituenda curaui: Siquidem ſunt ſchedæ laceræ, confuſæ, ac penitùs inutiles. Opera verò mea de* Republicâ Eccleſiaſticâ, *quæcunq; edita ſunt hîc primùm á* Billio, *ea pro meis genuinis agnoſco.*

Marcus Antonius Archi-

Epiſcopus Spalatenſis.



Am autem, cum ex hâc copioſâ narratione ſatis (quod a te quæſitum fuerat) haud dubiè perceperis; quam conſtantem cum *Archi-epiſcopo* rationem *Rex* iniverit, ad ſuæ exiſtimationis integritatem tuendam, & hominem verſipellem omnium oculis exponendum; auebis forſan inſuper, quis rei fuerit Exitus,& quomodò ſit a nobis dimiſſus, intelligere: Quod vt plenè cognoſcas, en tibi *Actorum Apographum*, ex *Inſtrumento publico* deſcriptum: quod inter alia in ſupremâ Cognitorum Regiorum in

Cauſis

Causis ecclesiasticis *Curiâ* asseruatur. In eisdem *Actis* narratur eius citatio vnà cum die, locoq; quibus comparuit coràm eis quos Rex delegauerat, vt eum monerent, quàm malè erga *Maiestatem Regiam*, & *Ecclesiam* se gesserat *Anglicanam*; & *Regis* ipsi voluntatem denuntiarent: qui nolebat ei facultatem sic é regno discedendi concedere, quemadmodùm ipse supplicauerat; sed vt *ex hoc Regno*, cæterisq; *Maiestatis suæ ditionibus* nunqùam posteà nisi proprio periculo reuersurus, expelleretur; abitumq; intra proximos viginti dies maturaret.

Acta 30. Martij 1622. Lambethæ expedita.

DIE *sabbathi, videlicet, tricesimo die mensis Martij 1622. coràm Reuerendissimo in Christo patre Domino* Georgio, *prouidentiâ diuinâ* Cantuariensi *Archi-episcopo, totius Angliæ Primate & Metropolitano*, Iohanne *eâdem prouidentiâ* Lincolniensi *Episcopo Domino Custode Magni Sigilli Angliæ*; Henrico *vicecomite* Mandeuill, *Domino Preſidente Concilij priuati Domini* Regis, Georgio London, Richardo Dunelm, Lanceloto Winton, *eâdem prouidentiâ respectiuè Episcopis*: Georgio Caluertt *milite*, Regiæ Maiestatis *Secretario Principali*, Iulio Cæsar *milite, etiam á secretioribus consilijs* Regiæ Maiestatis *vno, & Rotulorum Curiæ Cancellarie Magistro*, Henrico Hubberd *milite, capitali Iusticiario de* communi Banco, Randulpho Crewe *milite*, Regiæ Maiestatis *Seruiente ad Legem*, Gulielmo Bird, & Henrico Marten *militibus*, *& legum docto-*

doctoribus, Commißionarijs Regijs ad causas ecclesiasti-asticas, in quâdam superiori camerâ (aßistente etiam Decano Winton.) *infra Manerium Archi-episcopale apud* Lambehith *iudicialiter sedentibus, præsentibus* Willielmo Baker *&* Thoma Mottershead *notarijs publicis, propter absentiam Registrarij assumptis.*

Officium Dominorum contra Marcum Antonium, de Dominis Archi-episcopum Spalatensem.



le et Loco memoratis, dictus Archi- Episcopus Spalatensis *personaliter cõparuit, coram dictis delegatis Regijs : Quo tempore* Archi-episcopus Cantuariensis, *cum mandato* Regiæ Maiestatis *his aut similibus, cætercorũ nomine, verbis adorsus est. Domine* Spalatensis, *cupidè & instanter* Regiæ Maiestati *supplicâsti, vt bonâ eius cùm veniâ ex hoc regno discedere, inq; transmarinas migrare Regiones tibi liceret; quasi in reconciliandis cùm Romanâ ecclesiâ reformatis ecclesijs (idq; tanquàm eò inuitatus à Papâ) non inutilem nauaturus operam.* Regis *minùs commodâ valetudine, & locorum quibus abest à* Londino, *longinquitate factum est, vt hactenùs tibi respondere distulerit. Nunc autem cùm tibi respondere decreuerit, placuit eius* Maiestati *te primùm citaremus, vt ex teipso, quis tuus in* ipsum, Ecclesiam *hanc, et* Remp. *sit animus, intelligeremus : nominatim verò, vti hic coràm nobis quædam scripta, mox proferenda, pro tuis agnosceres : quorum quædam à te subscripta, omnia autem à te profecta esse,* Regiæ *ipsius* Maiestati *significatum est.*

Tunc in medium protulit Episcopus Dunelmensis *primas*

primas Archi-episcopi Spalatensis *ad* Serenissimum Regem *literas*; *quarum initium est*. Serenissimo, &c. Qui meum,&c. *finis autem*,dat.ex domo Sauoyensi 16 Ianuarij 1621. *subscriptas deniq*; Marcus Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatensis: *Suas eas esse, propriâ manu subscriptas, agnouit.*

Significatum est ei prætereà, lectis his literis inductum Serenissimam Regem Londinensem *et* Dunelmensem *Episcopos, vnà cum Decano* Wintoniensi *ad ipsum misisse, qui ab eo requirerent, vt de quibusdam sigillatim ipsi proponendis*, suæ Maiestati *satisfaceret*; *idq*; *ab eis* 21mo. *Ianuarij esse præstitum. Illos autem, post prolixam cum* Archi-episcopo *disceptationem*, ipsum *rogasse, vt suarum ad propositas quæstiones responsionum, summam conscriberet: id eum, subscripto nomine præstitisse*; *et ad Episcopum* Dunelmensem *misisse, qui ad* Regem Serenissimum *transmittendam curaret. Eius autem Scriptionis prima verba.* Die vicesimo primo Ianuarij 1621.&c. *postrema autem erant* vbi opus sit, plenè explicabo, & profitebor. Marcus Antonius Archi-Episcopus Spalatensis: *Quam illa totam propriæ manus esse scripturam confessus est. Eiusdem quoq*; Archi-Episcopi Spalatensis *ad se* Dunelmensis Episcopus *epistolam protulit, quâ illa eius responsa inclusa fuerant, his verbis inchoatam*. Illustrissime Reuerendissime Domine Colendissime, mitto hic inclusas &c. *his vero desinentem*, vt defectum suppleam; ex Domo Sauoyensi die 21mo. Ianuarij 1621. vestræ Illustrissimæ Dominationi in omnibus obsequentissimus. Marcus Antonius de Dominis Archi-Episcopus Spalatensis. *quam pariter agnouit á seipso totam scriptam. Cùm autem hac eius responsa* Dunelmensis *Episcopus ad*

Regem *pertulisset, Eiq;* suum Londinensis *Episcopi, et Decani* Wintoniensis *cùm illo colloquium narrasset aliquantò copiosiùs, quàm ea Responsa continebant; alia insuper ipsi* Quæsita *proponi iusserat eius* Maiestas *quæ latinè conscripta, tradita sunt eidem* Archi-Episcopo, *vt pleniùs et copiosiùs ad singula responderet. Ea autem* Quæsita, *numero duodecem, sic incipiebant.* Quæsita aliquot, &c. *Desinebant autem;* Ex Italiâ literas acceperit, *Quæ cùm ipsi ostensa essent, agnouit idem esse scriptum, quod traditum ipsi fuerat; quodq; vnà cum Responsis, ad Episcopum* Dunelmensem *remiserat, vt ea* Regi *tradenda curarentur. Posteà cùm essent ei sua ad duodecem* Quæsitâ, *tribus comprehensa schedis, exhibita responsa, quorum initium;* Ad postrema Duodecem serenissimi Domini Regis quæsita Ego Marcus Antonius ad primum de Schismate, &c. *finis autem;* famulum tibi perpetuò addictissimum, Marcum Antonium de Dominis Archi-Episcopum Spalatensem : Londini in Domo Sauoyensi die 11°. Februarij, 1621. *Ea, sua esse Responsa, propriâq; subscripta manu, confessus est : Itemq; literas ad Episcopum* Dunelmensem, *quibus vltimum illud suum Responsum miserat inclusum, incipientes his verbis;* Ad quæsita suæ Maiestatis, *&c. istisq; desinentes;* ad Theobaldum expectet, &c. Marcus Antonius Archi-Episcopus Spalatensis; *manu suâ scriptas & subscriptas esse confessus est.*

Item porrò Dunelmensis *Episcopus, quædam ex duabus literis Italicis* Excerpta, *quæ vnà cùm Quæsitis, in vndecimo articulo memoratis missa fuerant; itemq; tres Italicas literas, quarum in suâ ad duodecimum articulum responsione meminerat, ostendit illi; prætereà*

quoq;

quòq; *quandam ipsius ad* Serenissimum Regem *Epistolam, datam tertio Februarij 1621. Cuius initium;* Rex Serenissime, Domine Clementissimè, summi Pontificis benignam inuitationem *&c. finis autem.* Pro fideli famulo deuoueo. Londini ex Domo Sauoyensi die tertio Februarij, 1621. Serenissimæ Maiestati vestræ in omnibus semper obsequentissimus Marcus Antonius de Dominis Archi-Episcopus Spalatensis, *hanc ille epistolam manu suâ totam esse scriptam, cæteras quoq; pro veris ac genuinis agnouit.*

Posteà protulit idem Dunelmensis *Episcopus quæsita, 16to. Februarij 1621.* Serenissimi Regis *iussu ipsi proposita; quorum initium,* Quæsita aliquot &c. Cum Reuerendissimi Domini reditus &c. *finis autem;* cum possint æquè ab Episcopis vestris concedi *Itemq; tria eiusdem Archi-Episcopi responsa protulit ad hæc, ab ipso in tria contracta Quæsita; quorum initium;* Februarij 16to. à Natiuitate 1622. Tria principalia noua Quæsita, tertio loco á Serenissimo Domino Rege proposita &c. Primum, *&c. finis autem,* ad destinatum portum dirigit Marcus Antonius Archi-Episcopus Spalatensis: *Hæc quoq; Quæsita, pro eisdem quæ sibi proposita fuerant, & responsa pro suis, manu propriâ subscriptis, agnouit. Præterea, commemorabat ipse* Dunelmensis *Episcopus, quomodò* Rex *de nonnullis adhuc pleniùs sibi satisfieri cupiens, Decanum* Wintoniensem *ad eum misisset; qui quædam verbo tenus ei proponeret, et responsa ab eo requireret; quod ille literis in eum finem scriptis ad Decanum* Wintoniensem, *præstiterat: quarum initium;* Admodum Reuerende Domine Decane, Domine obseruantissimè; de duobus adhuc (inter alios non paucos) scrupulis &c. *finis*

 autem.

autem. Ora pro me, et impetra si potes, liberam et benignam quamprimùm dimissionem mihi, tui amantissimo, Marco Antonio de Dominis Archi-Episcopo Spalatensi. Ex Domo Sauoyensi, die decimo nono Martij, 1621. *agnouit eas suas esse, et propriá manu subscriptas*.

Dixit et porrò Dunelmensis *Episcopus, eum, libros suos hic in* Angliâ *editos, Chirographo manu propriâ subscripto, pro suis agnouisse*; *Cuius initium*; Admodum Reuerende &c. Quod spectat ad mea originalia, &c. *finis autem*; pro meis genuinis agnosco Marcus Antonius Archi-Episcopus Spalatensis, *agnouit id a se scriptum, propriâq; manu subscriptum esse.*

Posteà protulit in medium idem Dunelmensis *Episcopus exemplum Epistolæ, quam opinabatur ab* Archi-Episcopo Spalatensi, *ad* Alexandrinum Patriarcham *esse scriptam, cum ad eum primum* Ecclesiasticæ *suæ* Reipublicæ *volumen, recens editum, mitteret : Cuius apographum hic sequitur.*

SANCTISSIMO PATRI Christi Domini amantissimo, Domino Cyrillo *Patriarchæ Alexandrino, Iudici œcumenico, infimus dei famulus,* Marcus Antonius de Dominis *Archi-Episcopus Spalatensis, alias* Salonitanus, &c.

" EXperta est aliquandò ista vestra *Ægyptus*, Pater omni pietate, colende, & venerande, tenebras densissimas et palpabiles sub " indurato

" indurato *Pharaone*, seruitutemq; Dei popu-
" lus seruiuit atrocem sub diro tyranno, qui et
" corpora miserorum diris vexabat afflictioni-
" bus, et diuinum eis cultum, proprium ani-
" marum alimentum, impediebat, Vicit tamen
" tunc Deus humanam peruicaciam, et maris
" rubri aquis vltricibus, scelus hominis edo-
" muit, omnemq; ipsius compressit impieta-
" tem: nunc quoq; (et compatimur vobis) sub
" alio *Pharaone*, *Vos*, cum vestro pijssimo Chri-
" stianorum grege, dura sæpe in corpore, &
" rebus temporalibus patimini; ille tamen vo-
" bis Deum eripere non conatur, neq; vlla ob-
" ijcit impedimenta, quominus integra, si non
" tam splendida oculis corporeis, *Deo nostro*
" sacrificia, et pura offeratis; paceq; lætâ in re-
" bus diuinis, quod mihi summæ fuit volup-
" tati, fruimini; *Occidentales* verò *Ecclesiæ*
" plurimæ, *Romano Pontifici* subiugatæ, in
" rebus temporalibus nimium splendidæ, quæ
" sub tyrannorum infidelium oppressionibus
" olim, et persecutionibus, fide purâ, charitate
" sincerâ, et internis diuinis virtutibus vndiq;
" emicabant, totæ iam luxu defluentes, iusto
" diuino iudicio, nobis tamen occulto, sub
" pedibus antiqui vestri *Pharaonis* oppressæ,
" ad longè miserrimam sunt redactæ seruitu-
" tem. Mihi ergò sub *virgâ Romanâ* nato, edu-
" cato ac promoto, tenebras antiquas *Ægyp-*
" *tias*, sub *occidentali Ægypto*, diroq; illo
" *Pharaone* diù experto, ad terram *Goshen*, vbi
" splendida lux fulget, fuit omninò confugien-

 dum

" dum. Quod quidem, Deo aſpirante, feliciter
" præſtici; ac iam anno abhinc quaſi integro,
" in *Angliam*, *Romano Pontifici* nuncio remiſ-
" ſo, veni. Hîc mihi pro veritate decertare libe-
" rum eſt, & tutum, vbi nempe ſub pijſſimo,
" fidei defenſore, Chriſti cauſa triumphat.
" Meorum de *Republica eccleſiaſtica* laborum
" primum partum nuper editum, tibi, *Pater*
" & *Domine* religioſiſſime iam mitto, pignus
" mei communionis cùm veſtrâ paternitate in-
" ineundæ voti ac deſiderij: In hoc tractatu
" ego Eccleſias veſtras orientales, ac præſer-
" tim *Conſtantinopolitanam* tueor, & a *Roma-*
" *norum* calumnijs vindico: Patriarcharum
" omnia iura antiqua defendo; & *Romanum*
" ad ſuum ordinem, ablata ei abſoluto *Prima-*
" *tu*, redigo. Antidotum vobis paratum ad-
" uerſùs tela *Ieſuitica*, in hoc meo libro, vt ſpe-
" ro, inuenietis. Vos me, *Pater beatiſſime*, vt
" fratrem veſtrum, ſervumq; obſequentiſſi-
" mum amplectamini. Illudq; ora et in Chri-
" ſti viſceribus obteſtor, ſeriò cogitate de
" veſtrarum *Orientalium Eccleſiarum* cum
" hac nobiliſſimâ & florentiſſimâ *Eccleſiâ An-*
" *glicanâ*, vnione. Nam contrà *Pharaonem*,
" imò veriùs *Antichriſtum*, factâ vnione, fa-
" facillimè præualebimus, & tyrannidem ip-
" ſius a Chriſti Eccleſiâ procùl amandabimus:
" Suſcita *pater optime*, zelum tuum, rem te
" magno Patriarchâ dignam amplectere.
" Quicquid difficultatis tibi occurrat, id oro,
" obſecroq; maturè conſideratum, viro ſapien-
" tiſſimo,

" tissimo, atq; Christi gloriæ propagandæ a-
" uidissimo Domino *Primati Cantuariensi*,
" siue mihi, vt placet, significes; Ad auferen-
" dum & abolendum tam inueteratum Schis-
" ma, totas animi tui vires adijce; Atq; in
" Domino bene vale. Deus te Ecclesiæ suæ
" sanctæ nobilissimum, & vnum ex præcipuis
" ipsius ministrum, in verâ charitate, & vero
" vnitatis conseruandæ ardore, diutissimè ser-
" uet incolumen, sanctissime, & religiosissime
" Pater.

Rogante igitur Episcopo Dunelmensi, *an hoc epistolæ ab ipso scriptæ verum ac genuinum esset exemplar*; Archi-Episcopus Spalatensis, *cum sumptum in manus exemplar inspexisset, se quidem librum illum suum, vnâ cùm literis, ad* Alexandrinum Patriarcham *misisse, respondit; verùm se singula verba, aut sensus illius Epistolæ, recolere non posse: Exhibitum tamen exemplar, manu eius esse scriptum, qui tunc* Amanuensis *apud eum munere fungebatur, cum liber, et Epistola, missa sunt.*

Postremò, cúm latinè compellans illi diceret Archi-Episcopus Cantuariensis, *eum huc è patria, vt ipse caussabatur, conscientiæ causâ profugisse, idq; sancti spiritus, vt profitebatur, instinctu; nunc autem eum iterùm religionem, quod patebat ex eius Romam redeundi proposito, mutasse: ac deinde, eum contrà huius* Regni *leges, consilia cùm* Papâ, *inscio et ignaro* Rege, *communicasse; in his igitur duobus, eum magni se criminis obligâsse: Respondit, religionem se nunquàm mutasse, cùm* Ecclesiam Anglicanam, *&* Romanam *in* fundamentalibus conuenire persuasum haberet, vti in ipsâ

rerum substantiâ, nullum sit magni alicuius momenti discrimen. *Se autem cùm Papâ per se non egisse, sed amicos primò cum eo, sine suo consilio aut consensu, tractasse. Ad hoc replicans Archi-Episcopus* Cantuariensis *cùm ei verba quædam legerat é schedulâ, é publicato ante aduentum eius in* Angliam Manifesto *desumpta, quibus inter cætera,* Romam *vocabat* Babylonem, *et se dicebat, ex eâ discedere, ne plagarum ejus esset particeps: Respondit, se populariter scriptos quosdam libros edidisse, figuris Rhetoricis et Hyperbolis comptos & ornatos, quæ minùs firmum in rebus ipsis fundamentum haberent. In eis fieri posse, vt tale aliquid occurreret. In maioribus autem suis operibus hîc editis, sententiam se suam doctrinaliter, et* δογματικῶς *aperuisse: inibi verò dictis, se constanter inhærere. Ad reditum autem quod attineret ad* Ecclesiam Romanam, *non dubitare se, quin (ad corruptelas quod spectat, contrâ quas inuectus fuerat) multò se iam res aliter habeat, quam habuerit viuente* Paulo Quinto: *Se enim accepisse, hunc* Papam Gregorium decimum quintum, *virum esse bonum, multáq; reformasse; Ad quæ Archi-Episcopus* Cantuariensis: Iam scilicet, *inquit*, Babylon in Sionem conuersa est.

Post hæc omnia subiecit Archi-Episcopus Cantuariensis (*eadem quoq;* Domino Custode magni sigilli *confirmante) quià in supra dictis omnibus malè se gessisset,* Regi *sic placere, idq; se iam illi* Regis *nomine denuntiare: Quod supplex à* Regiâ Maiestate *petierat, vt sibi liceret ex* hoc Regno *discedere; id* Regem *nequaquàm* ipsi *concedere; iubere verò, vt intrà proximos viginti dies ex* hoc Regno, *cæterisq;* Maiestatis suæ *ditionibus facessat; nunquam postea, nisi proprio periculo rediturus.*

Ad

Ad hæc ille, *obtemperaturum se respondit simul asseuerans in fide boni viri, seruum se fore* Regiæ Maiestati *obsequentissimum*, Ecclesiæ *autem* Anglicanæ *studiosissimum*; *deq; eâ, se, dùm viueret, nunquàm nisi honorificè locuturum: Deniq; se paratum, si quâ in re sua ipsis opera foret vtilis, cuiuis eorum, qui tunc præsentes aderant inseruire.*

Hic illi Dunelmensis *Episcopus in memoriam reuocauit, quod sanctè receperat*, Ecclesiam *se* Anglicanam *defensurum semper, ac pro* orthodoxâ in fundamentalibus omnibus Christianæ fidei Capitibus, *propugnaturum: Seq;* id, coràm ipso Papâ, *vel* quouis alio, *pro re natâ, etiamsi hoc fieret* cùm discrimine vitæ suæ, *tuiturum: Respondit* ille; *hoc se* reuerà *dixisse, atq; etiam præstiturum. Est enim, inquit ille, in* omnibus essentialibus ὀρθοδοξοτάτη: *De* accidentalibus *autem se non curare dixit.*

Concordat cum Registro
Ita testamur

Gulielmus Baker } notarij
Thomas Motershed } publici.



ATq; ità extremum habes actum huius de *Archi-Episcopo* fabulæ; qui magnâ expectatione cùm scenam intrâsset, non minori dedecore exiuit Noluit tamen in eum *Rex Serenissimus* pro delicti grauitate animaduertere; satius esse

ratus id eis, ad quos redibat *ille*, (quod fore non immeritò suspicari quis possit) exequendum relinquere. Qui, prout ex ipsis amicis quidam eum rectè præmonuit, *dissimulare* inurias, quam *condonare*, meliùs norunt; & qui, pro suâ in æstimandis ingenijs peritiâ, cùm auaritiæ, et ambitionis eum morbo laborare deprehendissent, octuplicis eum stipendij inescârunt illecebrâ; promissâ ipsi *Bullâ* Papali, quæ omnis ei delicti gratiam faceret, vt sine omni suo dedecore redire posset, ac ne rationem quidem eorum, quæ hîc contrà *Papam* Ecclesiamue *Romanam*, egerat, aut dixerat, reddere teneretur: Oblata præterea locupleti prælaturâ, cuius annui red itus, octies ea superarent, quæ erat in *Anglia* conseecutus. Hâc ille escâ deuoratâ, captus est. Nunc postquam in eorum se manus commisit, faxit Deus vt de eo fausta deinceps audiamus: Ne verba ille sua suo ipse periculo verè sentiat; *Eò nostris temporibus redacta res est, vt ecclesiasticæ controuersiæ, non Theologis ampliùs, non Concilijs, sed Tortoribus, sed Carnificibus, sed sicarijs, sed sanguinarijs, sed parricidis defendendæ, Romæ, aut Româ, comittantur*: neúe verus euadat vates, qui ad primum de suscepto eius ad Ecclesiam *Romanam* reditu rumorem, super eo pronuntiauit, LAQVEVM, IGNEM, AVT VENENVM *hominem manere*; *quod*, inquit *omen Deus auertat*.

In manifesto Archi Episcopi Spalatensis.

FINIS.

Ad te iam, Doctor Halle, propius accedo;
Delatum fuit die XXI. Febr. stylo veteri
anno MDCXXII à Natiuitate, huius sequens
scriptum — noli grauatè ferre Rev. praesul, can-
didam hanc et animi et calami deuotissimi tibi
vtriusque libertatem, sanè expressit mihi vel
renitenti verba haec pius quidam et religionis
zelus et tui.

Doctoris Halli scriptum.

Fama est te discessum à nobis meditari, neque tam
cedere loco velle quam fide. Strenuâ pro-
fectò suspicione ~~et~~ non caret hoc ipsum pro-
ficisci; neque n. cuiusque subire montem po-
test, hominem senem velle hoc aetatis, corpo-
re tam malè ad molestum iter comparato,
animi causâ peregrinari; Deferbuit procul
dubiò iam diu iuuenilis ardor relictas pri-
dem oras curiosè reuisendi; nec ita crassi
sumus insulares, vt credere possimus, coe-
lum te mutare velle, nisi animum prius
quadantenus tentare decreuisses, multò minus mutare
verò septem illos, inuisos caelo, totiesque tuo
fulmine ictos colles repetere. Nouimus et
nos sat bene ingenium Romae; ecquonam latere
pt. nedum hodie cordatum quam infida sit

illa statio superbæ Hierarchiæ oppugnatori. Moneat te vester ille olim Fulgentius, quam nihil ibi tuti sit Pontificiæ mali tantillo violatori, etiam post fidem, si qua fama fides, sanctè datam, post promissa munera, post benignissimæ invitationis blanditias: viderit tua prædicta ante omnia, vel prepudiosissima palinodia, totiesque quas deierasti prius aras liberauerint. O tuam, (si, quemodo profiteris, sanus orthodoxusque Romam remeare audes) miram animi confidentiam, piamque martyrij sitim, dignam stupore nostro dignam immortalitate, quam nobis hic liceret et hanc tibi gloriam tibi invidere, et gratulari fœlicitatem: Sed quam te pasrum isthorc provehat ambitio, est quod non immeritò timeamus. Quid quod? ægrè profectò monuerim, opus esse, novas profectionis suæ rationes exponat Reverentia

ego vestra: quas verò tandem illas? fortassis uti plebeijs licuit ingenijs coniectari, sanctum quoddam vniendæ Ecclesiæ studium, et Romam discordiæ huiusce sacerrimam sedem propellit machinaturum demum aliquid, quo funestissimæ Christiani orbis

-ditos aliquando sopiantur: Ad quod quidem ~~instandi~~ instructionem te aliisque omnibus produxisse visus est summus ille pacis auctor, animus certè quam non desit, memini te alicubi palam confiteri: Ego ferebam, inquis, à primis clericatus mei annis in me innatum perenne desiderium videndæ unionis omnium Christi Ecclesiarum, separationem Occidentis ab Oriente in rebus fidei, Austri ab Aquilone æquo animo ferre nunquam poteram. Cupiebam anxiè tot tantorumque schismatum causam agnoscere, ac perspicere, num posset aliqua excogitari via omnes Christi Ecclesias ad veram antiquam unionem componendi, idque videndi ardebam desiderio, dolore interno cruciabar ex tot dissidijs inter Christianæ religionis professores, ex odijs acerrimis inter nobilissimas Ecclesias inflammatis, ex tunica Christi fœdè scissa, et laurata, conceptoque excruciabar. Qui me dolor et nimia tristitia mirum in modum conficiebat, et in dies magis conficit, indeque ad fer-

coelis
quisquis
discerptissime
redemptum

meus studium incitabar. Dignam sane pijssimo
pijssimo praesule, lapsoque in coelis patriis zeli
φιλοτιμίαν. Quis non hanc unà et animi
animi candorem et ardorem zeli pro-
nus exosculetur? Pereat certe, quisquis est,
pereat pessime, qui discerptissimae Ecclesi-
ae reintegrationem suo ipsius sanguine
redemptam ire noluerit. Sed parce,
si me audis, colendiss. Praesul, parce
huic labori: novimus nos, istic quid pos-
sint hucce vires, votis et nos unà te-
cum, si libet, usque contendimus ut Dei
beneficio beet aliquando Christianam Remp.
pax alma, respicientesque ab alto discipet tan-
dem omnes errorum inimicitiarumque procellas,
quibus hodierno die miserrime conflicta-
mur: sed mortalium quisquis se hoc effectum
dare posse sperat, nimium quam frustra
est: aut n. eruat se prorsus oper-
tet Romana Ecclesia (quod quis bonum
suadere se posse autumet?) aut hoc pro-
fecto fieri nullo modo potest. Non nega-
rim equidem (dedimus n. et nos strenue
et quantum potuimus, operam huic instituto)
penes utramque litigantium plerumque fuere

~~strenuam~~
quantum

pacis-limina, aliquanto propius absque ullo fidei damno saluaré. Nam et lumi- posse saluari.
cula quaedam sunt, quae tuto liceret alter-
utrisque, si opus foret, indulgere: neque quis
impedit, quo minus in tractandis quae
utrio obueniunt, controuersiarum modo, plus
utrinque moderationis Christianae possit ad-
hiberi: sed ut unanimi in summis reli-
gionis capitibus quae nunc est Romae i-
dolum, concordiam ineamus, dolens dico, idolum
haud minus possibile est, quam lucem
tenebris, Beliali Deum consociare. Quam
infamis audit hodie Joannis Sturmij via
media, non secus ac lata illa quae ad
imum usque barathrum reducit. Quam vapu-
lat etiam nunc bonus ille Cassander,
Fricciusque, et quisquis moderatioris inge-
nij Theologus, pacis ausus est menti-
nisse. Quam et tepidos haereticis suis
connumerandos censuit pridem non nemo
Gallicanorum patrum Gualterius. Quis ve-
ro te melius nouit, quam mordicus olim
tenuerint Tridentini patres vel minimas

~~quas~~ quásq; quisquilias, stipulasq; suae, quam vocant, fidei, quibus orbem Christianum penitus conflagrare maluerunt. Romani rex domini, quam ut tantillum suo qualicunq; iure ~~s~~ cedere viderentur. ~~Hoc~~ Ecquae nunc spes est post tot annos pertinaciae professiones veri Pontificios charissimis erroribus ultro ~~ob~~ obviam ituros. nimia profecto fide sit oportet, qui istud crediderit. Stat nunc quis probus monitor, et suggerat ista, (cuius in pectore conclusa delitescit Ecclesia) Pontifici summo: Sine modo suaderi tibi obsecro, Sancte pater, ut fastuosum hunc papatus monarchiamq; in Ecclesias Dei imperium abdicare velis; nolis cathedram tuam, quod soles, ἀναμαρτήτων venditare, desine tibi post tam apertam tuos hominum ambitiosas ~~abrogare~~ arrogare gladium illum alterum potestatis saecularis. cave tua praecepta divinis aequiparanda censeas; edicasq; insigne illud commentum transsubstantionis sacrifici missatici, purgatorij ignis, satorum

tandem et exsibila: noli Ecclesiae Chris-
tianae deinceps ludos facere merosis in-
dulgentiarum nundinationibus; iube ne sanctae
imagines, reliquiaeve in idola convertantur.
Quid quaeso aliud à magno Romuli nepo-
te nisi focum crucemque reportabit? quid
ego, ubi steterit palam eorum parentibus si-
mul ac patronis quidvis agere aut pati
potius quam ut à sententia quamlibet
impia ac prodigiosa discedere velint quid
à nobis tandem putat paternitas vestra,
primariae veritatis assertis posse expectari;
ut conclamatissimis erroribus dare manus
ut et plus quam servili iugo Ponti-
ficiae Tyrannidis colla subdere ~~…~~ iam
sero animum inducamus. non ita sanè et
Deum et homines exuere possumus, ut hac tam
insana lege pacem colere malimus;
alterutrum proinde hoc si quando convenire li-
tibus planè necesse erit, ut aut ille er-
rare aut nos rectà ire desinamus. 12.
Illud Episcopi valde nolunt hoc Deus.
Quod si qui olim Caesari animus fuisse

dicitur, non nisi difficillima quæque ~~obeundi, ide~~
obeundi, idem hodie sacratum Deo pectus
~~im~~ incidebat, promoveratque. Cum tibi Tyrrhe-
num mare ingressuro à duodecim scopulis
plebi quidem ~~[illegible]~~ nautarum forsan incog-
nitis, tibi vero peritiss.o naviculatori exploratis-
simis: ~~nil~~ minitantes illi sc. exitium: non
cymbis modò quotidianis seu onorarijs seu
actuarijs: sed ubi eò transfretaveris vavae-
xidi quidem mox sane aut impingat navis
tua necesse est, aut subsidat: dicam planius:
nec te salus ipsa servare poterit, ubi Ro-
mam accesseris, quam aut damnatos à te
pridem errores mutata velificatione renoves,
refoveasque: aut damneris vinicomburio,
Durum utrumque omen; nec ulla alia ratione
nisi prudenti, quod cautus ~~[illegible]~~ usque fecisti,
profugio avertendum; potestne fieri, ut a-
deo sis prodigus totius tui, hoc est ut alterum-
desiderio — trum tuto placideque vitæ istic agendi ^ ar-
rideat. Certa mors imminet utrinque
reditui; corporis quidem, si vera fatori
audes; si dierare, animæ. At si quidem
animo iam pridem discessum a nobis antever-

teris, non erit ut de diuturnione aliquã
nobis extimã intentios solliciti simus.
nolo ego de tanto Theologo mali quicquã
opinari, leuis cuiusquam inconstantiae, si te
tum ipsius factũ palam ~~alligare~~ alligarit, est qd
tibi succenseas. dic mihi vero p Deũ immortalẽ
bone, ~~magne~~ praesul, quid tandẽ ẽ, qd
te nobis, post aliquot ~~annos~~ moram
iam dt subito abripere, Romamqs pellicere
potuit? purgid inhospita tibi visa ẽ gens
nostra? minus ne quam fortasse sperara[s]
virtutibus tuis indultũ causari profecto istud
non potes. ~~tam ... quam larga~~ In quem
larga benignissi Regis manus tam am-
pla, tot prima congessit ultro munera,
maiora insup, si foret opus, largitura? quod
aula, vrbs, academia vtraqs, plebs denique
vniuersa ita suspicione solita est, et vendra-
ri: quia et hoc ipsa quam ingenuẽ tecum is-
tic actũ fuerit, satis clamitant, ...
sa patet vbiqs nobis plenissime eundi
quã lubet redeundiqs facultas. fuere ẽ nostris
quibus Romã vidisse capitale pridem fuit, sunt
qi sanc vrbis limina infelici pede teligerint, cessa-
rint illico Lectori:, caniqs septendecim plus minus

tecum

annos, modò usque suprapse licuerit, carcere
inquisitorio crudelissimo detenti sunt; non
sic nos tractamus hostes, non perduelles nostros
redire aduenas; atque patet istic coelum et terra,
pessimeque de Britannia nostra meritis, hospitium
nimis hercle benignum pollicentur.
~~Nunc~~ Num tibi quod parum placuere ~~no~~ mores
nostri, et paulò ~~forsa~~ forsan deprauationes solutioresque
quam par est viuendi rationes
~~Obrep~~ Obrepserint coelo vel sanctissimo populo
saeculi sui vita; neque nostros eius immunes
venditamus ab illa malorum illuuie, cuius
bonos quosque et piget et pudet serio. veniunt
scandala, uotus verbum est saluatoris;
~~atque~~ Atqui teipsum appello testem iudicemque
quicquid sumus: non adhuc Italiam impietate
exaequauimus: cedemus profectò non
inviti genti Pontificiae, neque illi diram
hanc inhonestamque palmam inuidebimus.
Finge nos si placet multò adhuc
improbiores, iustificabit nos tamen Roma
ipsa Delos Pontificij Apollinis,
Thusci Vice-dei coelum, de qua meritò
quod olim dixerat Deus, Viuo ego, dicit

Dominus Deus, quia nō fecit Sodoma ~~soror tu~~ soror tua ipsa, et filiae eius sicut fecisti tu et filiae tuae. Etiam inter prae-~~p~~praeparatos Ecclesiae illius moderatores conspicies à quibus turpissimi inter nos gaudiores facile sese victos fatebuntur. Quid ergo domini nunc displicet, quam nos istic profitemur religio? absit, absit, ut grandaevus antistes tam eximiis animi dotibus imbutus, recidivam patiatur. Apage mendacem famam: non possum ego tam iniquis ~~m~~musculis aurem praebere. quicquid obganniat vulgus, nolo ego istud credere, nolo suspicari. ~~Quod~~ si quis tui similis tam male consuluerit et suae et aliorum saluti, cum ego sic audacter compellare nō dubitarim. Displicet nō ergo religio: non ea nunc est tibi primulum innotescit. Diu est, ex quo utriusque Ecclesiae dogmata serio sollicitèque ponderando librans, ac trutinatam à te postea prudentiam nostrae, denique amplexus solam veritati divinae consonam, orbi praespiraveris.

veracique calamo palam consignave-
ris. ~~Et quod ...~~ Et quod vero nunc no-
vi luminis tibi ~~imp~~ improviso obortum
sic illustravit oculos, ut quae solertis-
sima viginti fere annorum indagine
frustra perquisieris, clarissime demum
cerneres cernares. Res eadem est; Tu si sis a-
tius videris, quod te numen mutarit.
certe qui religionem nostram odio habent
~~qu~~ plus quam Et vocleo, fatentur nos
verum dicere; sed tale non dicere criminan-
tur. Quicquid est positivae quam appellant
apud nostros Theologiae, etc additamentis
placet, negavimus solummodo quorun-
20 dam paulo atrociorum graviter accusamur.
nempe audacem illam impiam novae
fidei farraginem ferre, nec posse nos
nec debere ~~false~~ confitemur. Nihil quic-
quam addidimus, nihil immutavimus. nec aut
formosior est quae fuit olim Rom. Ec-
21 clesiae facies, aut Reformatae turpior. Dic
mihi, cur quae intoleranda tibi pridem
visa sunt religionis argumenta plaudere in-

incipiant. cur id serò primigeniã
nostrae simplicitatis forma tibi sordescere 22
videatur. obsecro te amplisse Dñe,
imò adiuro per Deum Jesum Christum, re-
deas ad cor tuum, ~~aut~~ velisque animos
tuos misereri; Senex nunc es, monent
te canitiei tuae, flores illi ~~[illegible]~~ ceme-
teriales, qui nunc caput tuum gravi
quodam decore obtegunt, non longè abesse
fatalem illum diem, quo tremendo
sanctissimi iudicis tribunali sisteris, ~~[illegible]~~
rationem de mutata sententia reddituros.
rus. Cogita iam seriò, quid responsurus
daturus sis illi falli nescio, vivorum
mortuorumque arbitro, quicquid certè fiat
casae plebeculae, cui per fida doctorum ty-
rannide caelestis doctrinae iubar interclu-
di solet; Fieri non potest, quin tu, quem
tam insigni eruditione, rerumque omnium
scientia instruxit Deus, candidissimum iudicem
à veritatis agnitae prius, abnegatorque
acerrimo vindice reportes. Assurgent contra
te in illo tremendo die scripta tua egre-
gia ὀρθοδοξίας ~~tuae~~ tuae quondam, monumen-
ta aeviterna, testabunturque et quis dum

fueris, et quam solidis rationum nixus
firmamentis ad vestras partes accesseris
turpemque tibi lapsum coram Deo et An-
gelis exprobrabunt. Interim vero caelum
et terra nobis attestentur, ecquid sit in
quo nos sacris indubitatis Dei eloquiis
non firmissime adhaereamus. Ecquid
in quo ~~nos~~ sanctorum patrum conciliorumque
auctoritate destituamur. Ecquid in quo nos
a Romanis discessionem fecerimus, nisi
ubi illos a se et Deo discessisse
constiterit. O pios salutiferosque errores
nostros; ecquis bonus est, qui cum beatis
patribus, cum gloriosis martyribus, cum sanc-
tissimis Apostolis, cum Deo denique ipso
errare dubitaverit. Aliam profecto pe-
nitus qui sibi calcandam elegerit, er-
ret, cadat, pereat necesse est. Ergo tu, si
sapis, venerande praesul, siste istum pe-
dem, mane usque nobiscum, et fruere
Deo, fruere Evangelio, fruere suavis-
sima bonae conscientiae pace; quod si
ista parum moveant, age, orna hunc

modò et accipe, quandoquidem ita vis, fugam ab hoc asylo pacis, simul ac religionis, dáqs aurem vocibus illis, si quæ sint laureolicis quæ tibi isthoc suaserint. olim, vivit Dominus, se: rà ducoris facti pœnitentia, Britanniæ nostræ aut nunquam vidisse, aut nunquam dereliquisse frustra exoptabis. Quod ex aio deprecor,

Reverentiæ vestræ humillimè
Deditissimus Jos. Hallus, Archi:
presbyter wigorniens.

Nunc meas accipe, reverende Halle, in tuum hoc scriptum breves et strictim datas observationes.

In primis, suspicaris me non tam loco cedere velle quam fide.

Reverende vir, cognosce primus quid sit fides. cognosce quæ mea semper fuerit, et sit professio, et ita suspiciones tuas planè agnosces esse vanas, et verè indiciis temerè concepta, imò contraria esse calumnias. In quod fidem Ecclesiæ Angli:

canere à fide Ecclesiae Rom. diversam
esse putas, adeò ut qui qui ex Anglia
Romam proficiscatur, fidem quae Romae est pro-
fessurus, sit tibi non tam loco quam fi-
de cessurus. Ego verò iam docui fidem
Christianam cum summa concordia unam et
eandem esse, et contentiones plurimas de
articulis fidei non esse: caeterum ego muta-
re non animum et possum et volo. non n.
pauca nec levia sunt, quae me movent.
Ea iam omnia à me manifesta ~~vidisti~~
vidisti. pericula quae mihi obiectas num-
quam esse tanta ac talia possunt, quin
servus Christi pro Domini sui gloria
ea prompte subire debeat; Rom. Eccle-
sia dissentientes ab ~~se~~ ipsa, sed non se
ab ea separantes non persequitur, sed docet
et instruit amice, ac doctorum sententias
audit pacifice, mature discutit, et sapien-
ter definit. Hunc morem cum schismaticis
servare non potest, sed neque Phalarides
neque Mezentios in urbe me inventurum
timeo. Parum admodum abfuit, quin ego

et innocens, et de Rege vestro ~~bene~~
ac regno bene meritus, Phalarides et
Mezentios apud vos experirer, nisi Deus
per bonos Angelos Abimelechum ab iniquo
facinore contra Abrahami honorem, imo
et vitae patrando abterruisset. Neque
ego Fulgentio comparandus: neque mea
causa, meae actiones, meus finis, mea
intentio, mea bona voluntas, quae sunt
cum Fulgentianis comparanda. Et pali-
nodia si iusta, si nostra coram Deo, et
cathol. Ecclesia Christi sit futura,
non erit mihi ignominiae, qui in secun-
do meo ipse expresse professus sum,
me meis fratribus condiscipulis suaviter
monendum offerre, et patiens discipulus
erudiendum, ac ubi claudicat restrin-
gendum, me mea scripta examini uni-
versitatis Catholicorum et eorum doctorum
excutienda proponere, et hinc duntaxat
meam primam editionem dirigere, me ve-
ritati necessariis rationibus manifestatae
promptissimum semper obsequiturum. Ac si
erroris ullius convictus fuero, opus ipsum

perfectius elimatum, correctum, adauctum, et
ad sensum Catholicum ultimâ redactum ma-
nu denuò editurum. Hoc circa propm-
diosissm palinodiam quam mihi prædicis
mihi semper ob oculos versabantur, ac
propterea non ad me liberandum à periculis
si qua dabuntur, erit inserviturum, sed
ad veritatis melius cognitæ confessio-
nem. Ac spero contra meam palinodiam
si quam scripsero, te aut quemquam vestrum
nihil aliud ~~non~~ quod impugnetis, reprehen-
datis, irrideatis, habituros. Ea mihi
non ut pericula evadam, sed ut veritatem
cathol. propugnem, imò pergam propugna-
re, inserviunt. factis sacrosanctis illis
aris, sacrosanctum erit iuramentum, ut-
cunque tu me prius illas deierasse asse-
ras, nec levis mihi per tuam contume-
liam irrogata iniuria, si in tua Britan-
nica Latinitate deierare aras ut videris
intelligas idem esse, quod eas execrari, ab-
iurare, detestari. Profectò contra aras

illas, quecunque arce, ubicunque, sub quo-
cunque praetextu collocentur, profanae erunt,
et Christo inuisae ac inimicae: sanus
ortho[illegible]usque sine inter Pontificios, si-
ue inter vos semper fui, sum, et Deo
me non deserente semper ero. Nimium vo-
bis arrogatis, si vos vestrasque solam
partem orthodoxos habere et solam pu-
tatis. Erratisque plurimum dum orthodoxo
viro vestram solam partem in qua est
a Pontificia diuisa et separata, profiteri
necessarium esse vobis persuadetis, qui ta-
men ab orthodoxia in multis longe
abestis. Parcite me labori in quaerenda
concordia et unione suadere; post ironias
eo quod isthic noueratis quid possint
hoc viros. Nae tu humanus nimium
es, qui divina negotia humanis viribus et
solis aggredienda esse putas, quique
non aduertis 12 esse horas diei, et ne-
scis Deum, quando venit hora ab ipsi-
us prouidentia praefixa, infirma mundi eli-

gere, ut confundat fortia. Votis vos
una mecum estis; Imprimis igitur
in votis solis sistere debemus. Et nu-
quam opus tentandum. Tu in votis tuis
pijs et sanctis persiste, ut lubet: Ego
votis meis adjicere volo laborem, et
expergefactus et operans, divinam pro-
pitio implorabo assistentiam. Effectum
desperas. Romam fecisti, scripsisti; ad-
didisti irreconciliabilem: opus frustra
futurum putas: sed tu divinae opis et
gratiae es immemor; tu omnia consi-
lijs et rationibus duntaxat tuis metiris.
ad unionem, ad concordiam, ad pacem
utilem Ecclesiae, quae necessitas ut Ro-
mana Ecclesia se exuat. et si
sit necessitas, unde desperare velit se
exuere. Tunc a secretis Dei consilijs re-
velationibus fueris. necessitatem ego hanc
nullam video: sola haeresis, sola infidelitas
necessario exuendae. Has Romanae Eccle-
siae tribuere nec est, nisi impietas et schismati-
corum. Suntne aliqui nostri, suntne aliqui

aliqui abusus, suntne aliqui excessus: salva fide omnia toleranda potius quam schisma faciendum, et pluribus iam vos monui. Sed neque desperata circa haec: testis est pontifex modernus totus Deo plenus, et ab humanis Deo contrariis consiliis alienus, iam gravissimis reformationibus manus admovit. In summis, inquis, religionis capitibus concordiam iniri est impossibile: sed tu et tui similes in gravissimo versamini errore, dum summa religionis capita facitis opiniones scholasticas in utramque partem disputabiles, quae fidei Catholicae verum articulum vix ulla attingunt. Quod tibi si non satis iam ostendi, ostendam plenius in meo 7mo libro: ostendam etiam ulterius, si quis in hoc scrupulus resederit et Deus mihi vitam et vires corporis, suaeque gratiae concesserit adiumenta. Tridentinos patres quisquiliarum tenaces adducis: sed non consideras Lutheranos primos suarum quisquiliarum tenacissimos turpissimum schisma conflasse, et Ecclesiam Christi gravi inflicto vulnere divisisse, turbasse tranquillitatem, unionem abrupisse, et dissidiis Remp. Christianorum replevisse. Si ergo quisquilias etiam quisquiliis opposuissent, quid mirum? Quas ego tamen nostrorum quisquilias non video. Mittite vos vestras quisquilias, et spero quisquilias nullas in nostra parte videbitis. Papatus integer manere

pt et debet, legitimus in re: sitne vero
iuris divini, an solius iuris Canonici, res ad
speculatorum ptinet, vix quicqm ad praxim: et
potestas principibus sua illaesa facile potest relinqui.
Transsubstantiao si Christi corpus vere
ac realiter sumi à digne Eucharistiae sacramenta
suscipientibus concessens, ita ut non
obiective solum p fidem Christi corpus suo
mi dicatur, sed subiective etiam reipsa p
sacramenta, donari sibi meo iudicio possit
transsubstantiao. Nam sicut nolentes olim
admittere novum nomen consubstantialitatis
filii, pro Arianis habiti sunt, quia rem e-
tiam negare iuste psumerentur, Ita te-
naces huius vocis, transsubstantiatio,
sunt nostri, ne si ea negetur negetur
realis psentia corporis Christi, in Eucharistia.
Conveniamus in re, de nominibus facilis erit
compositio. Idem dico de sacrificio. Purga-
torium si nobis admittere cogeris, nec damnes
admittentes, admittere tamen cogeris saltem
hoi post mortem peccata posse et solere
intercessione Ecclesiae ~~remitt~~ remitti: admittere
item cogeris sacrificia et oraones pro de-
functis. Haec n. Apostoli et admiserant
et docuerunt, sicut et usum sacrarum ima-

ginas, et indulgentias de minerchs. At sic facilius invenies concordiam, et schismatis compressionem. Incipite vos primi obstinati nimium animi duritiem emollire, qui priores scissuram fecistis, et sic experimini Pontificios quidvis et agere et pati potius esse paratos, quam ut per ipsos stet, quominus ~~minus~~ nimis desiderata unio consequatur. Ab impiis et prodigiosis sententiis dicis nos oportere dissidere, quod tu parum scite, pariterque prudenter, imo charitatis Christianae quod dolens dico expers obloqueris: nunquam non impias hasce et prodigiosas sententias invenies, nisi cum stultis Puritanis puritanises, et stultesias. Vos primorum veritatis assecla ad veritatem Ecclesiae Catholicae redire poteritis, neque propterea conclamatissimis erroribus, dandae vobis sunt manus: quia nulli sane tales errores inter Pontificios, nisi quos vos inaniter confingitis, neque colla subdere ulli tyrannidi cogemini, modo antiquissimis vos, et sanctae piae Ecclesiae Catholicae canonibus subijciatis. Scopulos mihi meos ante oculos proponis, ad quos aut impingat mea navis aut subsidat. Jam dixi me periculis corporis non terreri, ubi de divinis agatur obsequijs; veritatem ego fa-

teri vbiqs possum, ne timore vivicomburi-
er: non — n. hostili aīo veritatem tuear
ut vos, sed amico: placide rem agere, o-
iam novi meo periculo edoctus, non conci-
tate, non malevole non furiose. Quod si charitas
connivere et abusus aliquos tolerandos pro pace
Ecclesie censerem, frustra me tuo illo de-
ierandi verbo iterum mordes, aiens mihi
periculum ex deieratione obijciens, quasi ve-
ro errores sint in fide, et contraria veri-
tas, quod tibi nunquam concesserim. Vos pa-
micis his erroribus aīas illaqueatis, quia
eas in schismate a Christi corpore, quod
est Ecclesia reiectas huiusmodi vanis
terriculamentis confirmatis. Levis me
inconstantie notā nitoris aspergere, sed
iam ostendi tibi me gravissimis nectum
et causis, non ijs quas tu nullius
momenti recenses. Regis erga me benig-
nitas amplā manu opima in me congessit
procul dubio munera, et longe plura ac
nobiliora, si eorum avidus fuissem, contulisset.
Sed ego spiritualia vobis, non mihi temporalia
inter vos quaerebam: ijs non inventis aut a

vobis reiectis recedo, et vobis vestra re-
linquo: ac insanum vulgus rideo, quod me
ditatum, et auri argentique plenum discede-
re nugatur. Quid potui lucrari singulis
fosse à cio commosso da un vero risentimento del stato di sua perditione, et un rimorso di Conscienza, o sia che lo facesse per spegner lo sdegno del summo pontefice, et per rihavere i suoi beneficij che haueua perduto. fece sapere à Roma, che se vi fosse gratia et reconciliatione per lui, volena venirvi per rinocare tutto quello, che contro la chiesa haueua scritto et insegnato. Et per abgiurare le sue heresie et errori. Sopra che hauuto risposta fauorevole, che sarebbe ricevuto à humichevolmente nel grembo della chiesa, et restituto à gli suoi pristini honori, dignitadi, et beneficij, venne rinocò et abgiurò li errori et della Sta di N. S. Urbano VIII. PP gli furono tenute le promesse fatte gli dalla beata memoria di Gregorio XV. Ma per ripullulandosi in lui quel seme di heresie che mai dal suo cuore non fù totalmente sradicato, tra raggionamenti et dispute private con parecchi suoi amici si scoperse in modo ch' egli fù deferito et accusato secretamente alla S. Inquisitione. Imperoche chiamato davanti quel santo tribunale et con diligenza esaminato et inquisito alcune volte in presenza dell' istesso Pontefice disse et confessò, che da piu anni in dietro sempre era stato il suo disegno di adoperare con ogni possibil modo qualche unione conveniente tra le membra separate della chiesa Catto-

lica, cioè la chiesa Romana, l'Anglicana, et tutte le chiese protestanti, che hanno et tengono tra se gli articoli fondamentali di fede sopradetti, et a quel fine haveva scritto mentre era in Inghilterra uno trattato di quella unione, et che a quella pensava ancora, et credeva anco al presente esser la sua intentione santa et quella unione potersi fare commodamente et legitimamente, se pur il pontefice volesse rimettere alquanto del suo primato, et la chiesa Romana lasciasse libero ad ogn'uno di credere quel che buono gli parrebbe delle questioni indifferenti alla salute, come de purgatorio, delle Indulgenze, adoratione di santi, loro imagini et reliquie, del numero et proprietà de' sacramenti, et in che modo nostro Sig.re sia nella communione, della potestà delle chiavi, del primato di Pietro, et altre cose simili di minor rilievo, per la salute, et di grandissima difficoltà, per non esser determinate da Dio, né dal suo S.to Spirito nelle scritture. Sopra che essendo gli detto che li articoli da lui tenuti per indeterminati da Dio erano stabiliti ne gli concilij, ~~[illegible]~~ rispose egli queste parole formali, volesse Iddio che dalli concilij non fussero state stabilite tante cose quante da essi stabilite si veggono. Et gli fu replicato; quello, che le hanno stabilito li concilij basta per la fede, et così bisogna credere, et

non cercar altro. Disse egli che spesso li Concilij stabiliscono per articoli di fede cose che non toccano alla fede solamente. Et che ne gli concilij et particolarmente parlando del Concilio Tridentino, in esso li voti di ciascuno erano da stimare solo come li pareri d'~~fa~~ huomini dotti: et le conclusioni tirati dalla pluralità di voti come communi opinioni di dottori ma non gia come articoli di fede o leggi che possino obligare alla credenza necessaria ~~dif~~ di essi. Et in certo altro discorso disse; che il Concilio Tridentino haueua condannato con li suoi anathematismi quelli che condannati vi furono, non perche fossero heretici ma perche di costoro che la chiesa Romana insegnando il contrario teneua heresie. Sopra che essendogli stato detto, che pensasse bene à quel che diceua, che lo derogare all'auttorità de'l Concilij e'l voler dire, et mantenere che molte cose tenute per articolo di fede siano indifferenti, erano punti d'importanza, et affatto contrarij alla chiesa, rispose; Quel ch'io n'ho detto ne credo, et lo tengo, et crederò cosi, quando egli douerebbe costarmi la vita. Più intorno al matrimonio hebbe opinioni erronee et heretiche, dicendo che fuor del caso d'adulterio cagion nissuna poteua esser sufficiente per lo diuortio et dissolutione d'un matrimonio ~~pl~~ pienamente secondo le leggi et sacri Canoni consumato: et cosi ~~[illegible]~~ esplicò lo dire de'l nostro Signore nell'Euangelio di Mattheo c. 5. v 19. confondendolo con quello che è scritto nell'antica legge del Vecchio Testamento Deut: XXIV. Di più, disse, che essen-

dove la causa giusta et legitima, l'auttorità sola 37 · 108
d'un Principe Secolare poteva bastare per sciogliere
ogni nodo matrimoniale, quantunque fermo et con=
summato ch'egli fosse. Così dichiaratosi fù
domandato, come havesse potuto ritornare alla
chiesa Romana, mentre era infetto di tali et tante
heresie da essa chiesa condannate et abhorrite.
Et rispose, che senza far pregiudicio alla salute dell'
anima l'huomo poteva liberamente passar dalla chiesa
Romana all'Anglicana, et da essa ritornare alla Romana,
purche stesse sempre fermo et salido ne gli articoli
fondamentali di fede sopradetti, et ad amendua le
dette membra d'una chiesa Catholica communi, che
nelle altre controversie poi libera esser doveva
ad ogni uno suo parere, il quale anco poteva
cangiare più volte senza lesioni di sua conscienza.

Le quali heresie et errori respettivamente considerati
da gli Rmi Inquisitori et in Theologia dottori, fù
dichiarato egli heretico relasso, et gli fu detto, che
come contro un tale havessero da procedere contro
di lui gli antedetti Inquisitori, et il procuratore fisci
del Sto Vfficio Carlo Sincero v. j. dottore, che però
pensasse à far sua difesa, per la quale gli fu con=
cesso termino di tre mesi. Ma come egli si messe
in ordine per essa difesa, et à ciò preso un Procuratore
per aiutarlo, subito cadde infermo à morte, et così
fatto venire à se alcuni Padri religiosi et à loro

confessatosi molto grande pentimento de gli suoi errori, et per maggior sicurezza dell'anima sua domando uso de gli Santi sacramenti, il quale ottenuto, che hebbe, contento et tranquillo passò da questa vita nel mese di Settembre di questo anno 1624. di età d'anni incirca 65.

Et perche contro vn heretico relasso benche pentito, non però cessa il giuditio, fu il suo corpo guardato in deposito, et furono con editti publici auuertiti i suoi parenti et amici tanto quelli che erano fuor di Roma quanto quelli che stavano in Roma, che se alcuno tra loro volesse pigliar la difesa della memoria del detto M. Ant. de Dom., hauesse à venire inanzi il tribunale del S.to officio; et nissuno dentro al prescritto termine comparendoui, anzi quatro parenti suoi per allhora ritrouati in Roma, et à ciò espressamente chiamati, rifiutando ogni sua difesa, fu formato il processo dal Procuratore fisci del Santo officio Carlo Sincero I. V. D. accusatore da vna parte contro la memoria del quondam M. Ant. figliuolo del quondam Girolimo de Dominis gia Arci.vo di Spalatro heretico rilasso da l'altra: che essendo manifeste heresie di credere, che'l primato del Papa Romano la transubstantiatione, il tesoro per le Indulgenze, l'adoratione de Santi, il culto delle loro Imagini et reliquie, il purgatorio et altre cose simile possino es-

38 109

ser disputate nella chiesa et credute indifferentemente senza far pregiuditio alla salute, come se non fossero articoli di fede. voler adoperare qualche unione tra li Catholici et heretici, come se ci fosse compatenza tra la luce et le tenebre Dio et Belial, et mantenere che la chiesa Anglicana et le altre protestanti siano membra vive della Chiesa Catholica: et apparendo, che'l detto M. A. de era stato infetto di quell' heresie, medesimamente dopo'l suo ritorno et la sua riconciliatione con la Chiesa, dando di ciò pruove certissime la sua confessione et ~~poi~~ piu che ogni altra cosa vn certo suo scritto de sua mano propria trovato dopò la sua morte in forma d'vn consulto, nel quale fatto dopò la sua ~~re~~ riconciliatione voleva in ogni modo difendere la necessità dell'vnione con gli Protestanti, insegnandovi li modi à lui parsi convenevoli per tutto'l negocio.

~~Però~~ noi infrascritti per la misericordia di Dio della S. R. chiesa Cardinali et della heretica pravità Inquisitori generali; Invocato prima il nome di Giesu Christo nostro Redentore, et di sua Santissima madre Maria sempre vergine, considerati tutti li meriti del processo, et tutto quello che nella causa vertente era da considerare, et havuto sopra'l tutto auuiso di Rdi Dottori di Theologia et de

leggi et canoni positi, specialmente dal Procuratore Fisci Carlo Sincero I. V. D. informati condanniamo la memoria del quondam M. Anto. de Dom. gia Arciv.o di Spalatro ad eterna infamia, lo degradiamo di tutte le dignità, officij, Beneficij, dichiariamo tutte le sue facoltà et beni confiscati al S. Ufficio; Scacciamo la sua memoria, il suo corpo qui presente in deposito, la sua imagine, et li suoi scritti dalla chiesa, della cui misericordia egli vivo si è reso indegno; Et perciò lo mettiamo nelle mani di Mons. il Governatore di Roma, o suo luogotenente, qui presente acciochè egli ne disponga et faccia secondo le leggi, et vogliamo che li scritti siano publicamente bruciati. Così giudichiamo noi

Poi l'istesso giorno fu dalla parte di Mons.r Ecc.mo il Governatore di Roma condotto il corpo con l'effigie et li scritti del detto condannato nel campo di Fiore, dove ordinariamente si fanno le essecutioni di giustitia, et ivi fu il tutto publicamente abbruciato.

Il Lunedi poi alli 23. fu nell'istesso luogo strangolato et abbruciato il sopradetto pseudo prete Greco.

Questo non è stato fatto, ma si bien mandato in Galera.



Finis

A

ERRATA *quæ sensum immutant, aut alioquin insigniora sunt, sic corrigito: Cætera leuiora, æquus et eruditus Lector calamo transuerso, inducet.*

In præfat. b. lin. 5. lege *Venetam, Legatum*, lin. 13. l. *meâ cum*, lin. 19. l. *certissimis*, p. 2. lin. 17 dele *existimationem*, p. 8. lin. 22. l. *memorant*, p. 11. lin. 13. l. *occidentis*, p. 29. lin. 30. l. *professurum*, p. 30. lin. 31. l. *his*, p. 36. lin. 3. l. *Reuerendissimum*, p. 41. lin. 17. l. *sit*, lin. 22. l. *Maiestas*, lin. 30. l. *plenè*, p. 42. lin. 7. l. *in propriè*. p. 47. lin. 11. l. *quidam*, p. 50. lin. 13. l. *indicio*, p. 51. lin. 32. l. *Carmina*, p. 53 lin. 15. l. *ditiones*, p. 56. lin. 23. l. *aquæ Benedictæ*, lin. 27. l. *vtra*, p. 63. lin. 31. l. *Dunelmensis*, p. 67. lin. 29. l. *certi*, p. 68. lin. 31. l. *communissimum*, p. 71. lin. 3. l. *eo*, p. 73. lin. 21. l. *ille*, p. 74. lin. 28. l. *Idem*, p. 76. lin. 6. l. *ei*, p. 78. lin. 2. l. *præstiti*, lin. 16. l. *ablato*, lin. 21. l. *ero*; p. 80. lin. 16. l. *suum*, p. 82. lin. 3. l. *ipsius*, lin. 18. l. *vera*.

MARCVS ANTONIVS DE DOMINIS, ARCHIEPISCOPVS SPALATENSIS, SVÆ PROFECTIONIS CONSILIVM EXPONIT.



LONDINI,
Apud IOANNEM BILLIVM.
ANNO 1616.
Cum Priuilegio.



MARCVS ANTONIVS DE DOMINIS, ARCHIEPISCOPVS SPALATENSIS, SVÆ PROFECTIONIS CONSILIVM EXPONIT.



NE ſubitus, ac inopinatus, reliquis omnibus, hic meus diſceſſus; mihi tamen diutino, vltra decennium, conſilio diſcuſſus, exquiſitaque deliberatione maturatus, aliquam paſſim, apud noſtros, moueat admirationem; & apud rei ignaros

effectus malos, mea culpa, si sileam, pariat; meæ non præcipitis, sed optimè consideratæ profectionis consilium, opportuna præoccupatione, fuit omnino exponendum.

Prçuideo sanè, non defuturos obtrectatores plurimos, qui ex hac mea profectione, maledicendi, meque calumnijs de more impetendi, sint ansam arrepturi; id tamen, coram Deo fateor, me non nimium angit, solicitatque: Mihi enim, cum Paulo, pro minimo est vt ab hominibus iudicer. Sim stultus propter Christum; sim ignobilis; cædar colaphis; maledicar; persecutiones patiar; blasphemer; purgamentum Mundi, & peripsema, imo & anathema fiam; dummodo Christo Domino satisfaciam, & fratribus meis in Christi Ministerio, prosim; debeo penitus contemnere. Nam gloria nostra est, testimonium conscientiæ nostrç, quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei; & non in sapientia carnali; sed in gratia Dei; locum mutem. Meum profecto est exhibere

bere me ipſum, ſicut Dei miniſtrum, in multa patientia; in tribulationibus; in neceſſitatibus; in anguſtijs; in laboribus; per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam. Non enim me, neque mea quæro; ſed quę ſunt Ieſu Chriſti. Angit me potius, ac ſolicitat, ſi obtrectationibus, & calumnijs obuiam non prodiero, facile futurum, vt, non exiguus fortaſſe, bonę ædificationis fructus, in pijs multorum animis, quem ex meis conſilijs capere poſſint, impediatur: multique, loco ædificationis, ex iniuſtis, quas audituri ſint, calumnijs, meorum conſiliorum ignari, in ſcandalum aliquod, mei cauſa, imprudentes prolabantur. His ego vt conſulam potiſſimum, profectionis meæ conſilia aperio, eaque reddo omnibus manifeſta.

Meam hanc, in loci mutatione, Diuinam eſſe vocationem, non humanam; nullo modo aut poſſum, aut debeo ambigere. Scio non omni Spiritui facile eſſe credendum; ſed probandos eſſe ſpiritus,

ritus, si ex Deo sint, vt præclare monet, dilectus Christi Discipulus Ioannes: In his probationibus, præter frequentem integri, vt dixi, decennij, quem à Christo didici, ad Patrem luminum, accessum; illud mihi (in quo Deum, & meam conscientiam, testes aduoco) est certissimum, ad meas aures nullas vnquam hominis vllius, cuiuscunque generis suasiones, peruenisse; inuitatores nullos vnquam habui; nullos suasores; nullius penitus in hoc sum vnquam vsus consilijs; cum nemine mortalium rem contuli. Sed neque ex libris, Romanæ doctrinæ aduersantibus, me mea consilia hausisse, quis suspicetur: Deum enim testor, me ab illis libris, quos Romana diligentia proscripsit, vehementer abhorruisse. Quos profecto, si vllus alius Romanæ Curiæ addictus Prælatus, est detestatus; ego sanè, vanis à puero conceptis terroribus, detestatus sum supra modum. Quanquam ne puerulus quidem iam sum, cui sexagenario propemodum, absque rationum momentis,
mentis,

mentis, persuadeat quisque, quod libuerit. Animi mei ego impetus & cogitationes, alijs regulis non sum vnquam moderatus, nisi ijs, quas toti Ecclesiæ sanctæ, Sanctus Spiritus, in sacris præscripsit literis; quarumque ductu, Orthodoxi sancti Patres, in Ecclesia Catholica celeberrimi, & quos illa semper est plurimum venerata, fideles Christi instruxerunt. Qui tandem soli Sancti Patres, præter internas Spiritus Sancti motiones, consilij huius mei, amplissimi fuerunt autores. Cur ergo spiritus nequam opus suspicer? A qua me illud præterea suspicione liberat, quod coram Deo, qui corda & renes scrutatur, me, in mea deliberatione, sciam nunquam mentem ad humana & temporalia consilia direxisse. Non ad dignitates Ecclesiasticas, quæ meam decere videbantur conditionem: Iam enim eram Episcopus, nec infimus; sed in patria Prouincia supremus: Spalatensis nimirum, hoc est alias Salonitanus Archiepiscopus, duorum Regnorum, Dalmatiæ, & Croatiæ,

Primas : tantæ in nostris Prouincijs & Ecclesiis existimationis, quãtæ (nec erubescam verum fateri) quiuis alius. Quod si etiã Romanæ mihi dignitates arrisissent, ad eas quoque mihi aditus semper patuit satis amplus. Mores tamẽ Romanæ Curiæ, mihi nihil probati, vt illam perpetuò abhorrerem, effecerunt. Et nihilominus Romana sedes, in grauioribus etiam publicis negotiis, mea vsa est opera, apud Cæsarem, & Archiduces. Breuia Pontificia, literæ Cæsareæ, & Archiducales, quas penes me seruo, rem satìs testantur. Non exigua quoque mea, apud Serenissimam Remp. Venetam merita, illius mihi, quæ naturalis meus Princeps est, gratiam paratam exhibuerunt. Vnde melioris fortunæ beneficium mihi sperare licuit, & expectare; si maioris amplitudinis auiditas me tenuisset. Non ad commoda temporalia, quæ mihi sanè tanta suppetebant, quanta moderato animo, qualem me semper habuisse, Diuinæ gratiæ tribuo, satis superq; fuerunt. In hac verò mea loci mu-

tatione,

tatione, & dignitatum, & opum detrimenta, amplector lubens; quia vt dixi, non quæ mea, ſed quæ Ieſu Chriſti ſunt, quæro. Non igitur humana vlla conſilia; non effrænis vlla affectio; non neceſſitas temporalis; non euentus; non caſus vllus acerbus, qui tranſuerſos homines ſolet agere, me vt diſcederem compulerunt: Sed quid illud fuerit, ſine fuco & fallacijs, dicam ingenuè.

Ego ſane à puero, in ſacris ſtudiis, iuxta doctrinam communem Scholaſticorum; & iuxta placita Romanæ ſedis, in ſocietate Ieſu, maiori ex parte, ſum enutritus. Pro quibus mihi Romanis propriis placitis, autoritate potius quam ratione, cum vera intellectus captiuitate, impreſſis, atque penitus in animum infixis, mori etiam fui diu paratiſſimus. Piaculum enim ducebam, circa illa, vel minimam admittere mentis, & cogitationum, nedum aſſertionis, ambiguitatem: religioneque communi obſtrictus, ſi vel cogitatio aduerſus illa interdum obreperet, aut ſacra lectio dubium

ſuggereret; vim mihi ipſi, vt fit in rebus fidei, ſemper inferendam putaui; & alio mentem cogitationemque diuertebam; ne aduerſus fidei certa mihi putata dogmata, (pro talibus enim nobis pueris venduntur) vel leue dubium admitterem. Fateor igniculos me perpetuò interni ſpiritus ſenſiſſe; quibus tamen reſiſtebam; acquieſcere verò nunquam plenè potui; neque à vehementi ſuſpicione, quæ me perpetuò, poſtquam in ſacris Theologiæ ſtudiis adoleui, anxium habuit, penitus me liberare. Quam mihi ſuſpicionem augebat, tam exacta, tamque rigoroſa, & domeſtica, & Romana diligentia, qua caueri oculatiſſimè perſpiciebam, ne libri Romanæ doctrinæ contrarii, à quoquam noſtrum teneantur, vel perlegantur. Vulgo enim eos merito prohiberi cenſebam; ne vulgares homines, iudicio, & diſcretione deſtituti, falſitatis imbibendæ periculis exponantur: Quod vero ſtudioſis, & optime erga Catholicam fidem affectis, & ſana doctrina pollentibus, penitus

aufer-

auferrentur, ſuſpicione rem non carere, vt ratio merito dictat, ſemper ſum arbitratus. Cum præſertim, etiam poſt peracta plenè Theologica ſtudia; poſt aſſumptos gradus in Theologia; poſt promotionem etiam ad Epiſcopatus, copiam nobis talium librorum fieri, nullo modo, Romana Curia patiatur. Creſcebat ſuſpicio, quod magiſtri ipſi & profeſſores, in tractandis publicè, ſiue voce, ſiue ſcripto, controuerſiis; omnino velint fidem ſibi adhiberi; aduerſariorum dicta, & ſententias, illas eſſe, quas ipſi referunt: auditoribus verò nullo pacto, excommunicationis iniecto terrore, vt legant ipſa aduerſariorum ſcripta, permittatur: In quibus abſcondendis, ſupprimendis, perdendis, adeo laboratur, vt hoc ipſo latere aliquid in illis liceat ſuſpicari, cui conuellendo, doctrina noſtra non ſufficiat.

Fouebam, à primis mei Clericatus annis, in me innatum pene deſiderium, videndæ vnionis omnium Chriſti Eccleſiarum: ſeparationem Occidentis ab O-

riente, in rebus fidei; Auſtri ab Aquilone, æquo animo ferre nunquam poteram: cupiebam anxiè tot, tantorumq; ſchiſmatum cauſam agnoſcere; ac perſpicere, num poſſet aliqua excogitari via, omnes Chriſti Eccleſias, ad veram antiquam vnionem, componendi; Idque videndi ardebam deſiderio. Dolore interno animi ex tot diſſidijs, inter Chriſtianæ Religionis profeſſores; ex odijs acerrimis inter nobiliſſimas Eccleſias inflammatis; ex tunica Chriſti fœdè ſciſſa, & lacerata, concepto, excruciabar. Qui me dolor, & nimia triſtitia, mirum in modum conficiebat; & in dies magis conficit.

Ad regimen tandem Eccleſiæ ſum, iam ante viginti annos, promotus, & factus Epiſcopus Segnienſis; meis Patribus Ieſuitis id ſatis ægrè ferentibus; quem nimirum, non ocioſum, non Societati ipſorum inutilem, & agnoſcebant, & experiebantur (quod ipſum quoque non plurimi facio; humana enim omnis exiſtimatio, vt debet, à me con-

contemnitur; nisi illa ad Diuina obsequia aliquid valeat) me, inquam, vtilem experiebantur; in medio enim ipso probationis tempore, me adolescentem adhuc, ad humaniores literas, in publicis Gymnasijs Veronæ profitendas, adhibuerunt. Antequam presbyter fierem, in Mathematicarum Disciplinarum Cathedra publica, me Pataiuij, non sine magno Auditorum concursu, collocârunt. Brixiæ me Rhetorices primùm; deinde Logices; Philosophiæque, in Scholis publicis, constituerunt Professorem. In Templis verò, diebus festis, vt sacras haberem conciones, non raro voluerunt. Priuata quoque, & non leuia, mihi negotia peragenda, sæpiùs iniunxerunt: In reliquisque Societatis ministerijs, me impigrum socium semper habuerunt. Quidni ergo meam, ad Episcopatum prouectionem, ægrè ferrent? Quæ mihi fuit prima occasio ex subtilibus, &, vt ita dicam, aëreis, Scholasticorum disputationibus, ad terram descendendi; & studia ipsa, in actum

pra-

practicum, curæ ſpiritualis animarum, & Eccleſiæ, reducendi. Et quoniam proprium iam meum munus Epiſcopale concionandi agnoſcebam, Sermonarios, Quadrageſimaliumque libros, de more, arripui euoluendos: Sed illi mihi breui nauſeam, ſtomachumque mouerunt. Vidi enim, & facilè, turpem Scripturarum abuſum, dum ad ſenſus vanos, inutiles, ac impertinentes, immo etiam pernicioſos, detorquentur: Vidi exempla aut falſa & conficta; aut ſaltem apocrypha & ridicula proponi: Vidi miſerabiliter populum deludi; inuentaque Auaritiæ & Ambitionis, pro ſanctis fidei dogmatibus, non ſine ſuperſtitionibus, obtrudi, & inculcari; exhorruique: ac inde, omiſſis turbidis riuulis, ad ſanctorum Patrum fontes, mihi omnino ſtatui accedendum; quorum lectione pro concionibus; & ſacrorum canonum meditatione, pro regimine, cœpi delectari.

Hinc nouæ mihi cuiuſdam lucis radij idenditem, nolenti adhuc & repugnanti,

nanti, illuxerunt. Obſeruabam hinc in theoricis dicta Patrum, valde communi doctrinæ; qua imbutus in Scholis fueram, in multis aduerſantia; & ea vel prætermiſſa à meis magiſtris; vel non fideliter adducta; vel non ſufficienter, aut etiã perperam explicata, animaduertebam: inde Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, regiminiſq; ſpiritualis noſtrorum temporum normam, & praxim, plurimum à veteri diſſidẽtem, non ſine admiratione, intuebar. Vnde meæ iam dictæ ſuſpiciones, non leuibus ſunt auctæ incrementis: neque nos ſatis bona fide, doctrinam, & negotia Chriſti, ac Sanctæ Eccleſiæ tractare, quodammodo eminus, perſpiciebam; qui ingenioſis potius humanæ ſpeculationis, & Philoſophicis ratiocinationibus; quàm Diuinæ Scripturæ exactius diſcuſſæ, & explicatæ, dictis (cuius ſumma apud nos ignoratio) noſtram inſtruimus Theologiam.

Ab Epiſcopatu, ad Archiepiſcopatum ſum euectus. Ea mihi noua & vrgentior occaſio ſuborta, ſtudia mea innouandi;

ac in ijs feruentius, & exactius, laborandi. Vbi enim Suffraganeorum meæ Prouinciæ Episcoporum molestiæ; sed multo magis Romanæ Curiæ nimia potentia, iura mea Metropolitica perturbantis, me pulsare cœperunt, omnium Ecclesiasticorum graduum, potestatum, munerum, officiorum, & dignitatum, ac præsertim Papatus, mihi fuit radix indaganda, penitusque cognoscenda. Accessit paulò pòst Venetum Interdictum; Romani libelli, nos Venetæ totius ditionis Episcopos, vt pecudes, rudes, imperitos, & malæ conscientiæ homines, deprimere, vexare, ac proscindere non destiterunt. Hinc ad nostras perficiendas defensiones; veritatemque in ipsa causa Veneta cognoscendam, noui & ardentioris studij, mihi nouæ sunt datæ occasiones. Sacri antiqui Canones, Concilia orthodoxa, Patrum disciplina, Ecclesiastica prisca consuetudo, fuerunt mihi etiam atque etiam peruolutanda. Quid plura? Inueni plenissimè in his solis, quicquid quærebam, & multo amplius

etiam

etiam quam quærebam. Iam verò, apertioribus oculis, facile fuit obſeruare, doctrinam illarum Eccleſiarum, quas plurimas Roma ſibi excitat aduerſarias, & quæ à nobis acriter reprehenduntur, à noſtrisq; Theologis impugnantur, à vera priſca Eccleſiæ puræ doctrina, vel nihil, vel parum admodum aberrare: eamque, non quod re vera hæretica ſit, aut falſa; ſed quia ſenſui, corruptisque Curiæ Romanæ moribus, ipſiusque humanis conſiliis & inuentis, iam plenè factæ temporalis, aduerſatur; Romæ, & apud nos, horreri potius & repelli, quam legitime impugnari. Vidi iam apertiſſime, penitusque perſpexi, Romę, absque vllo legitimo fundamento, imo per ſummam vim, innumeros fidei articulos nouos quotidie cudi, & nobis obtrudi; in iis, quæ non modo ad fidem Diuinam nihil pertinent, ſed etiam manifeſtam in ſe continent falſitatem. Quos neque à quoquam diſcuti, neque in debitam Eccleſiæ conſultationem venire, illa patitur: ſed ad necem illos per-

ſequitur, qui vel mutire contra illos audeant. Concilia ſacra iandiu ipſa compreſſit; ac proinde ſanctę Chriſti Eccleſię oculos eruit; vt, Samſonis inſtar, cœca reddita, viribusque propriis deſtituta, captiua, vilisque effecta, infelix gemat. Fuit aliquando articulus fidei, Vniuerſalem Eccleſiam per totum Mundum diffuſam, eſſe Eccleſiam illam Chriſti Catholicam, cui Chriſtus ipſe perpetuam promiſit aſſiſtentiam; quam Paulus columnam vocat, & firmamentum veritatis: Nunc articulum hunc fidei, noſtri Romani contraxerunt; vt iam Catholica Eccleſia, ipſa Romana Curia intelligatur; atque in ea ſola, imo in ſolo Papa, totum Chriſti Spiritum reſidere, firma fide credendum proponatur: Et quicquid in honorem Vniuerſalis Chriſti Eccleſiæ, olim dictum ſit, id totum ad ſolam Curiam Romanam, per ſummam vim, & iniuriam Eccleſię, pertrahatur; & ad fidei articulos Romę reducantur plurima, quorum nullam à Chriſto habuimus vnquam inſtitutionem:

nem : quibusque inſuper animæ fidelium miſerabiliter decipiuntur; ac conſequenter cæci, ſimul cum ſuis cæcis ductoribus, in barathrum perditionis ruunt, & pręcipitantur. Atque hęc, inter cętera, iandiu me ſumma afficiunt moleſtia; doloremque in animo meo excitant incredibilem.

Innumerabiles verò has Romanę Curię nouitates, perniciosiſſimosque errores, quibus & clades animarum exercetur; & diſciplinę Eccleſiaſticę vigor frangitur; & fidei propagatio, ac perpurgatio, impeditur; & ſcandala innumera in Eccleſiam inuehuntur; & pax ciuilis Chriſtianorum turbatur; bellaque inter ipſos cientur; & Regna ſubuertuntur; & ſchiſmata horrenda fiunt Eccleſiarum; & mala grauiſſima oriuntur; (quæ omnia iam exactius obſeruaui,) nunc ſingillatim cõmemorare prætermitto; quia hæc omnia in meo opere de Republica Eccleſiaſtica plenè perſequor: quod iandiu pręparatum habeo; ſtatimque illud typis dabo, & cal-

cographo, qui mihi in hoc itinere primus in Germania commodus occurrerit, imprimendum consignabo. Decem ego libris, totum hoc de Republica Ecclesiastica opus complector. In quorum primo, formam huius Reipub. inquiro; statuoque Ecclesiam sub Christo, ad perfectissimam Monarchiam pertinere: in terris tamen Christi Ministros, à Monarchia terrena alienissimos, ipsa Christi institutione, Aristocraticè, non sine aliqua Democratiæ admixtione, Ecclesiam ipsam gubernare: & consequenter Petri Primatum, seu Papatum, ostendo, cum Euangelio, & Christi institutione, plurimum pugnare. In secundo, Ecclesiasticæ Reip. Rectores, & Ministros considero: quinam sint, & quomodo sanctis Apostolis detur successio; & quæ sit Episcoporum institutio; & quomodo differant à Presbyteris; & qui sint Ministri inferiores; & quid Sacer ordo in hac Repub. efficiat. In tertio, explico Hierarchiam, quæ inter Episcopos, & huius

Reipub.

Reipub. Rectores, inuenitur: doceoque, iure Diuino, inter Episcopos, nullam esse prælationem, nullam subiectionem; sed solo iure Ecclesiastico locorum gradus, inter Episcopos, distingui: & consequenter ago de Episcoporum electione, confirmatione, consecratione, seu ordinatione: de Metropolitanorum, & Primatum ac Patriarcharum iuribus. In quarto, Romanæ Ecclesiæ discutio priuilegia; ostendoque, eam neque in se, neque in suo Episcopo, neque in suo Clero, vllam habuisse à Christo, supra cæteras, præeminentiam: sed si quam habuit, vel habet, eam ex humanis præsidijs ipsam accepisse. In quinto, propriam Ecclesiæ potestatem indagandam suscipio, ac probo, eam esse merè spiritualem: iurisdictionemque omnem ab Ecclesia procul reijcio; & consequenter de Sacramentorum vi, & operatione, dissero; pariter de Censuris. In sexto, Laicam potestatem cum Ecclesiastica comparo; vt pateat inter Ecclesiasticam, & temporalem Rempub. distinctio:

Prin-

Principesque temporales Christianos, multa posse in Ecclesia doceo; Ecclesiam verò nihil posse in temporalibus, maximè erga Reges. Ago itaque de Christi Regno temporali; de potestate Laica, vnde sit, & quam late pateat; de immunitatibus Ecclesiarum & Ecclesiasticorum; de Inuestituris; de Sicula Monarchia; & similibus. In septimo, internam Reip. Ecclesiasticæ per fidem directionem, contemplor; regulamque veram fidei inquiro; & ita disputo de Verbo Dei, de Ecclesiæ & Papæ in hoc autoritate; de Concilijs; de Hæresi; de Schismate; & similibus. In octauo, externum Ecclesiæ regimen per leges, Canones,& iudicia,considero; Ago itaque de obligatione Canonum; de dispensatione; de præceptis ieiuniorum, precum; & similibus. In nono,ad temporalia bona Ecclesiæ accedo; pluribusque explico, qualis esse debeat ministrorum Ecclesiæ sustentatio; vnde illa accipiatur; & quomodo bona Ecclesiæ administrentur. Ago itaque de

decimis;

decimis ; de beneficijs ; de dominio in bona Ecclesiæ ; de vſu , & abuſu redituum Eccleſiaſticorum ; de penſionibus & commendis ; & de Clericorum teſtamentis. In decimo & vltimo, libertatem Eccleſiaſticam explicandam ſuſcipio ; vt videamus , quomodo hæc Reſpublica libera ſit ; & conſequenter ago de priuilegijs , & priuilegiatis ; de abuſu priuilegiorum ; de exemptionibus , & exemptis ; de Monachorum ſubiectione ; & ſimilibus. Hic fuit meorum ſtudiorum fructus. Dum enim occaſionibus iam dictis , ſacra Biblia, Patres orthodoxos, ſacratiſſimos Canones, Conciliorum volumina , auidè legebam ; apertis iam oculis , zelo veritatis, & mihi ipſi & alijs explicandæ, incenſus, non potui non ſcribere quæ obſeruabam. Atque hæc mea multiplex ſcriptio , opus peperit quod recenſeo. Vidi itaque, planeque perſpexi , nos in noſtris Eccleſijs , ſiue doctrinam, ſiue diſciplinam ſpectes, à recto tramite plurimum deuiare.

Quid ergo facerem amplius, in medio nationis prauæ atque peruersæ? Si meam Ecclesiam regere, vt par erat, iuxta veterem Catholicæ Ecclesiæ disciplinam; si doctrinam veram Catholicam & docere, & exercere voluissem; grauissimas in caput meum procellas Romanas, fœdissimasque tempestates, accelerassem: contra quem iandiu odium conceptum Romæ fouebatur; quæ meos in scribendo aduersus ipsius sensa, labores, iam subolfecerat; nam & per Nuncium Apostolicum, Venetijs commorantem, non semel monitus hac de re, & correptus fui. Satius ergo fuit pennas columbæ assumere, & auolare, elongari, fugereque ad solitudines, vbi expectare possim eum qui saluum me faciat à pusillanimitate spiritus, & tempestate; quàm me cœcum voluntarium, cum cœcis, in interitum, cœcos ducere. Quid sunt iam Episcopi sub Romano Potentatu? In temporalibus quidem, vbi opima sunt sacerdotia, & dignitate eminent sęculari, Magnates sunt, con-

conſpicui ſunt, principes ſunt; ſed Epiſcopi, niſi æquiuoce, nequaquam ſunt. Reliquorum verò Epiſcoporum, Epiſcopalis adminiſtratio tota perijt; regimen enim omnium Eccleſiarum, totum eſt Romam redactum: ipſi verò Epiſcopi, ſunt Domini Papæ vix Vicarij; & adminiſtri; viles, contemptibiles, oppreſſi, conculcati; ſubiecti miſerabiliter, non ſoli Papæ, ſed Cardinalibus, totque Congregationibus contra illos Romæ inſtitutis; Legatis à latere; Nuntijs Apoſtolicis; Inquiſitoribus; Viſitatoribus; ac demum Regularium innumeris ordinibus, eorumque fratribus; qui iam, ſuis Apoſtolicis priuilegijs, non æquantur modo Epiſcopis, ſed eos etiam ſuperant, impediuntque in regendo, ac eorum abſorbent poteſtatem. Eccleſia, ſub Romano Pontifice, non eſt amplius Eccleſia; ſed Reſpub. quædam humana, ſub Papæ Monarchia tota temporali: Vinea eſt, ad ſolum Noe inebriandum: Grex eſt, quem Paſtor emungat ad ſanguinem,

guinem, tondeat, immo radat, immo excoriet, & mactet. Cur igitur non fugiam, ne mala ista videam amplius, neue etiam eorum sim cooperator, & particeps? Canem me Christus in suo grege posuit; mutus esse amplius non debeo, sicut muti sunt omnes Episcopi sub Romano: qui hinc spe allecti; inde metu territi, silent; potiusque assentando, simul cum Duce, ad præcipitium properant. Quoniam verò Obsequium amicos, Veritas odium parit, cum Veritatem deserere neque possim, neque debeam; odium propinquum mihi omnino fugiendum fuit; odijque effectus iam ordinarij, venena, & pugiones, fuerunt euitandi. Eò enim nostris temporibus redacta res est, vt Ecclesiasticæ controuersiæ, non Theologis amplius; non Concilijs; sed tortoribus, sed carnificibus, sed sicarijs, sed sanguinarijs, sed paricidis, defendendæ Romæ, aut Româ, committantur.

Hæc mihi, etsi fugam semper suaserint vehementissime, nihilominus tamen

men ancillam quoque Agar,cum ſuo Iſmaele, mihi moleſtam, diu ſum expertus, fateor: carnem videlicet aduerſus ſpiritum ſæpius audiui, his vocibus inſurgentem: Quo tandem perges? Dignitatem ſub Romano Pontifice ſatis amplam, & commoda non contemennda, cum ſpe, ſi vis, aliorum, es aſſecutus. Hæc iam poſſides, hæc certa ſunt; quid alibi futurum ſit, neſcis. Itane & patriam, & cognatos, & affines, & amicos deſeris, ad eos nunquam amplius redituurus? Cur te innumeris aliis Epiſcopis ſapientiorem facis? Illi omnes ferunt omnia, tolerant omnia, excuſant omnia; cur tu quoque non fers, non toleras, non excuſas? Tune ſolus ex innumerabilibus ſapis, & alii omnes deſipiunt? An neſcis te ſtatim, non absque ingentibus conuicijs, Romæ primum, deinde paſſim, Hęretici turpi infamia notatum iri? Hæc & ſimilia, mea mihi Agar, ſubinde in aures inſuſurrabat, non ſine interno graui inter ipſam, ac meum internum ſpiritum, victamque iam conſcientiam,

conflictu: Sed Diuinus ſpiritus vehementiori impulſu, tandem me vlterius moras nectere non permiſit; ac veluti Abramum, voce illa efficaci, ad ſe vocauit, dicens: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui; & veni in terram, quam monſtrabo tibi, fecitque vt celeberrimum illud Sapientum dictum, SEQVERE DEVM, re ipſa exequerer; quemadmodum illud ipſum, iuxta ſancti Ambroſij, libro 1. de Abraham cap. 2. conſiderationem, optimus Abram, facto præuenit. Quod ipſius factum, mihi admirabili quadam ratione animos addidit, & robur; dum cerno, Deum promptæ Abrami obedientiæ, illud in primis remunerationis contuliſſe; vt ab eo dedecus atque infamiam longe propulſarit; Saræ enim vxoris pulcherrimæ pudicitiam, in manibus Pharaonis periclitantem, à contumelia liberauit. Sed & Ambroſius me hinc plurimum conſolatur, dum ait; Itaque quoniam propter Deum Abram contempſit omnia, recepit à Deo multiplicata

cata omnia: Sed primam Deus pudicitiæ tribuit remunerationem, quam gratam ſciebat coniugi. Illud quoque præclare idem addit Ambroſius: Quod is qui Deum ſequitur, tutus ſemper eſt: ideoque Deum, inquit, præferre debemus omnibus: nec patriæ contuitu, nec parentum, filiorumque gratiâ, nec vxoris contemplatione, reuocari debemus, ab executione præceptorum cœleſtium; quia Deus nobis omnia illa largitur, & potens eſt ſeruare quæ donat. Hæc me quoque plurimum confidere faciunt, fore vt in primam meæ, etſi tardioris ſequelæ, remunerationem, Deus famæ, exiſtimationique meæ, ante omnia conſultum eſſe velit; ne illa, cuiuſcunque tandem formæ ſit, & pulchritudinis, in manibus quoque Barbarorum, dedecus vllum patiatur; ſed illæſa, ac incontaminata, ad aliorum præſertim ædificationem, & ſcandali euitationem, conſeruetur. Qua ego confidentia animatus, vocationeque permotus, ac periculis monitus, fugam hanc arripui iam promptiſſime.

Cha-

Charitas tamen Christi super omnia vrget me. Vilis essem & abiecti animi, si ad quietem solam fugerem, vt postposito legitimo certamine, otio alicubi torpeam, & marcescam. De Christi causa agitur; ea me ad se vocat. Audio vocem illam, in auribus mihi perpetuò intonantem: CLAMA: monentemque, quo clamor meus cum illorum clamoribus coniunctus, quorum non sunt incuruata genua ante Baal, melius exaudiatur; vt super montem excelsum ascendam, ad euangelizandum Sion. Eam vocem sequor, in tutum aliquem locum ascendo, vbi veritas ipsa Catholica, liberum iam extulerit caput; vnde pro muneris mei debito, eandem veritatem, quantum in me est, pandam; schismatumque extinguendorum, & vnitatis Ecclesiasticæ resarciendæ, vias aperiam, & demonstrem. Clamores meos breui audiet Ecclesia: loquar ad cor Hierusalem; & aduocabo eam. Nec enim muneri meo deesse possum: Episcopus sum in Ecclesia

clesia Christi: Episcopo porro cuique ita tradita est Ecclesia sua particularis, vt tamen nouerit, Ecclesiam quoque Vniuersalem, vbi opus sit, sibi esse à Christo commendatam. Nobis omnibus Episcopis à Paulo dicitur: Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Eleutherij nomine, antiquissimi Pontificis Romani, ad Episcopos illa verba circumferuntur: Huius rei gratia, Vniuersalis vobis, à Christo Iesu, commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis; & cunctis opem ferre non negligatis: Et Cyprianus, Epistola 13. libri III. se pariter cum Stephano Episcopo Romano, gubernandæ Ecclesiæ libram tenere, asserit, illudque addit: Copiosum corpus est Sacerdotum, concordiæ mutuæ glutine; atque vnitatis vinculo copulatum: Vt si quis ex collegio nostro hęresim facere, & gregem Christi lacerare, & vastare tentauerit, subueniant cæteri.

Sic facto ipso Cyprianus idem Ecclesijs laborantibus, extra Africam quoque constitutis, imo vel ipsi Romanæ, non semel occurrit; vt in meo opere de Repub.Ecclesiastica lib. II.& IIII. pluribus explico. Ita Polycarpus, Irenæus, Osius Cordubensis, Athanasius, Basilius, duo Eusebij Samosatenus & Vercellensis, Lucifer Carallitanus, Hilarius Pictauiensis, Theophilus, & Cyrillus Alexandrini, Aurelius Carthaginensis, & plurimi alij, Ecclesiæ Vniuersalis necessitatibus, ex proprio ipsorum Episcopali officio, vt subuenirent, plurimum laborarunt: relictaque interim, ac bene instructa, & commendata propria Ecclesia; ad alias afflictas & laborantes, se, propria autoritate, contulerunt. A meo itaque munere alienum non est, imo mei muneris maxime est proprium, vt Romanæ Curię, sectam separatam facienti, & gregem Christi laceranti, & vastanti, pro mea virili, vt monet Cyprianus, non accessu quidem ad eam, quia tutus non est, sed recessu corpo-

rali

rali ab ea, ſubueniam. Meam equidem Eccleſiam Spalatenſem retinuiſſem libentiſſime, ſicut Oſius, Baſilius, Euſebij, Hilarius, & alij à me modo nominati, ſuas retinuerunt, & ad eas, peracto publico Vniuerſalis Eccleſię negotio, ſunt reuerſi: ſed quia illa ſub Papę iugo, cum reliquis, gemit; qui Reformationem odit, & fugit, totiſque ſuis, & Principum ei adhærentium viribus, eam impedit; habetque in eos qui Reformationi inſiſtunt, vitę & necis poteſtatem, nullumque viuum eſſe patitur; propterea neceſſario mihi fuit ipſa mea Eccleſia penitus deſerenda: vt ipſe, diſruptis his quoque vinculis, iam penitus factus liber, promptior ſim ad veritatis præconium celebrandum; tutiuſque poſſim ruinas ſanctæ Eccleſiæ, quas à Romana Curia patitur, deplorare.

Tremenda quidem eſt Regis terreni Maieſtas, qui, vt Tertullianus loquitur, Poſt Deum ſecundus eſt, & ſolo Deo minor; & ſuper quem, vt ait Optatus Mileuitanus, non eſt niſi ſolus Deus.

 Propterea

Propterea, cum aliquando Rex Dauid, de adulterio,& homicidio, eſſet obiurgandus; non ſummus Pontifex; non alius aut Sacerdos, aut Leuita; non quiſpiam aut amicus, aut familiaris, id muneris auſus eſt aſſumere: ſed Deus ipſe, ſuos proprios ac peculiares ad hoc adhibuit nuncios; Nathanque Prophetam ad Regem increpandum deſtinauit. Cum Romano verò Pontifice, vniuerſam Eccleſiam nunc maximè turbante, ſcandalizante, expilante, opprimente, agere non eſt Prophetarum: non eſt expectandum, vt Deus ad hoc ſingulares excitet Prophetas, & deſtinet nuncios peculiares. Non eſt noſtri Romani Papæ, non eſt tanta Maieſtas, vt terrere debeat: ficta eſt illa temporalis & faſtuoſa Maieſtas; vſurpata eſt; nulla eſt: frater noſter ille eſt, collega eſt, & coëpiſcopus nobiſcum; ac in opere & labore comminiſter. Frater verò qui adiuuatur à fratre, vt eſt in Prouerbijs Salomonis, quaſi Ciuitas firma. Quid ſtertimus? quid dormimus? Frater perit,

rit, & ſecum Eccleſias in perditionem trahit; Et nos ipſius fratres contemnimus, nec occurrimus? Taceant omnes; quieſcant omnes; contemnant omnes; Ego catellus profectò omnium minimus, qualicunque latratu, excitabo ſaltem fortaſſe acres moloſſos dormientes, à Papatu mira arte ſopitos, qui lupum arceant, & ouile Chriſti, vt par eſt, pro ſuo munere tueantur. Non meis vtar vocibus in bonis canibus expergefaciendis; vtar Dei vocibus; clamores ſanctorum Patrum, ac Conciliorum, ſanctæque Catholicæ Eccleſiæ, ingeminabo. Decem de Republica Eccleſiaſtica, quos, vt monui, ſtatim edam libris, illud maximè conor, vt Romani errores detegantur: veritas & ſanitas Catholicæ & doctrinæ, & diſciplinæ, aperiatur: Eccleſiæ plurimæ, à noſtra Romana abiectæ, & repudiatæ, in Catholico ſenſu retineantur: Vnionis omnium Chriſti Eccleſiarum via, nutu, & digito, ſi non demonſtretur, ſaltem indicetur; ſi quo modo fieri poſſit,

vt vnum dicamus omnes, vnum ſentiamus, & ſchiſmata comprimantur: Principibuſque Chriſtianis anſa eripiatur, oppreſſionem inter ſe meditandi; & ſub obtentu Religionis, ac fidei; publicam populi Chriſtiani pacem, & tranquillitatem, bellis importunis, ac verè impijs, perturbandi. Sed potius eo vires ſuas dirigant, vt Eccleſiæ Chriſti, ſub iugo tyrannorum verè infidelium gementes, in libertatem priſtinam vindicentur.

Profectionem hanc meam, ſiue etiam ex Babylone exitum, aut fugam, omni ſchiſmatis ſuſpicione carere volo. Fugio enim errores, fugio abuſus, fugio, ne particeps ſim delictorum eius, & de plagis eius accipiam: A charitate tamen, quam debeo Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ, ſinguliſque eidem communicantibus, me nunquam ſeparo: ſed, quantum in me eſt, cum omnibus, quandiu in eſſentialibus noſtræ fidei articulis, & Symbolis antiquæ Chriſti Eccleſiæ conuenimus, perpetuò communi-

muni-

municare ſum paratus : ſi tamen nouos articulos , ſiue ſacræ Scripturæ apertè contrarios ; ſiue à Symbolis prædictis alienos, iiſque repugnantes, ſimul omnes deteſtemur , & abominemur: Alios verò in ſe indifferentes, in Eccleſia nunquam ſufficienter diſcuſſos, ſtabilitos, & definitos , pro articulis fidei, niſi prius ad plenũ definiantur , aut iam ſufficienter definiti eſſe oſtendantur, nequaquam admittamus : Sed neque eos vt hæreticos , niſi priùs ab Eccleſia ſufficienter condemnatos eſſe nobis conſtiterit, aut condemnentur, condemnemus. Relinquatur itaque , in indifferentibus , libera cuicunque Eccleſiæ facultas opinandi & operandi , & vnaquæque abundet in ſenſu ſuo , donec ipſa Eccleſia, Spiritu Chriſti inſtructa, & recta , controuerſijs finem imponat; veraſque paleas ſeparet a veris granis.

Interim verò celeberrimum celeberrimi dictum teneamus Cypriani , quo in Concilio Carthaginenſi vſus eſt : Neminem , inquit , iudicantes , aut à iure

com-

communionis aliquem, ſi diuerſum ſenſerit, amouentes. Neque enim quiſquam noſtrûm Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore, ad obſequendi neceſſitatem, collegas ſuos adegit: Quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis, & poteſtatis ſuæ, arbitrium proprium; tanquam iudicari ab alio non poſſit; cum nec ipſe poſſit alterum iudicare: ſed expectemus vniuerſi iudicium Domini noſtri Ieſu Chriſti; qui vnus, & ſolus, habet poteſtatem, & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione; & de actu noſtro iudicandi. A Romana itaque, imo ab vniuerſa ferme Eccleſia, circa Baptiſmum hæreticorum, tunc Cyprianus diſſentiebat, & propria firmatus opinione, Stephanum Romanum ſibi acriter in hoc reſiſtentem, cæteroſque fere omnes, in aperto errore verſari exiſtimabat; nihilominus tamen vinculum inter ipſos vnionis, & charitatis Eccleſiaſticæ, abrumpi nunquam eſt paſſus: ne ſchiſma, quod eſt peſtis pernicioſa

ciosa Ecclesiarum, inter eos exsurgeret. Atque in hoc plurimâ cum sua laude, Stephani non omnino discretum zelum, Cyprianus superauit. Dum enim Stephanus suis excommunicationibus in malum schismatis ruebat, Cyprianus sua patientia & charitate, eximiaque prudentia, separationem euitauit. Et in hoc Cyprianum sæpe S. Augustinus plurimum laudauit, proposuitque actiones Cypriani, tanquam formam, regulam, & exemplar toti Ecclesiæ, ad imitandum.

Ac inter cætera, dum factum Cypriani, & cum Stephano certamen, considerat Augustinus, in suo quinto de Baptismo contra Donatistas libro, cap. xxv. ait: Vicit tamen Pax Christi in cordibus eorum, vt in tali discrepatione, nullum inter eos malum schismatis oriretur. Illud itaque Cyprianus tanquam certum habebat, Stephanum vehementer errare, dum hæreticos ad Catholicam reuertentes absque nouo baptismo reciperet: Et nihilominus

 maluit,

maluit, non modo cum ipſo Stephano, ab eo longe diuerſa ſentiente, & operante; ſed etiam cum illis, quos impuros omnino cenſebat, communicare, ex eo tantum, quod illi á Stephano in communionem reciperentur; quám ſchiſmate Eccleſiam ſcindere. Et hoc S. Auguſtinus Donatiſtis exemplum ad imitandum proponit; proponit & nobis.

Imitemur itaq;, Pater Beatiſſime, voſq; Patres, fratreſq;, & collegæ ſanctiſſimi, Cyprianum; Auguſtino obſequamur; vt ante omnia, ſchiſmata auferantur: Cyprianus enim, vt obſeruat Auguſtinus; ſanctis charitatis viſceribus largiſſime præditus, in vnitate eis manendum putauit, qui diuerſa ſentirent. Sentiamus & nos inter nos diuerſa, quouſque plene definiantur, quæ plene nondum ſunt definita: ſed interim tamen in vnitate maneamus. Nam etſi aliquid aliter ſapitis, vt monet Apoſtolus, & hoc vobis Deus reuelabit. Nolite maiora, quam ſunt, ſchiſmata efficere: Cauete & vos, ne, cum Stephano, excommuni-

municationibus importunis, charitatem abrumpere tentetis: ne huiusmodi discrepationibus, vllum inter nos, quod præcauebat sanctus Augustinus, malum schismatis oriatur. Pacem & charitatem omnibus Christi Ecclesijs, per essentialia fidei Symbola Christum profitentibus, restituite. Longe grauius in Ecclesia malum esse schisma, quam hæresim, pro certo habetote. Communionem vestram, saluis opinionibus, pulsis tamen falsitatibus, promptam omnibus exhibete. Veritatis disquisitionem, legitimis & consuetis Ecclesiæ sanctæ modis, libere faciendam, relinquite. Sic enim, Christi gratia opitulante, qui se sincere quærentibus denegare non solet, breui futurum spero, vt plena pax & concordia, adeoq; necessaria sanctarum Ecclesiarum vnio, consequatur: vt idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula. Accendamus inter nos faces, non odij, nec simultatum; sed Religiosæ Catholicæque instructionis: Lucerna pedibus nostris sit Verbum Dei: Sanctorum

antecessorum nostrorum, qui singulare in Ecclesia Christi lumen fuerunt, premamus vestigia: Luce veritatis Euangelicæ, absque firma obstinatione, tenebras errorum & falsitatum disjiciamus: A nouitatibus, quæ antiquam sanctæ Ecclesiæ doctrinam, & disciplinam, pene extinxerunt, recedamus; vt Ecclesia Christi in terris vnica sit, concordiæ perfectæ glutine copulata: In qua omnes vnanimes, vno ore, honorificemus Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi. Amen.

Venetijs die xx. Septembris. MDCXVI.



